

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
H
61
NAPOLI

XLVII
EE
55

Digitized by Google

XLVII
88
59

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRA RITUUM CONGREGATIONE

EMO AC RMO DOMINO

CARDINALI PEDICINI

EPISCOPO PRÆNESTINO

SACRORUM RITUUM CONGREGATIONI PRÆFECTO

RELATORE

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS

BEATI FRANCISCI

DE HIERONYMO

SACERDOTIS PROFESSI

E SOCIETATE JESU

POSITIO

SUPER VALIDITATE PROCESSUS

ROMÆ MDCCCXXXI.

Ex Typographia Rev. Cam. Apost.

C. fr. Cop. 73

Digitized by Google

NEAPOLITANA
CANONIZATIONIS
BEATI FRANCISCI DE HIERONYMO
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

INFORMATIO
SUPER DUBIO

An constet de validitate Processus Apostolica Auctoritate in Dioecesi Tarentina constructi super Miraculis, quæ supervenerunt post indultam eidem Beato venerationem; Testes sint rite, ac recte examinati, et jura legitime compulsata, in casu, et ad effectum de quo agitur?

Eme, et Rme Domine

1 Religiosissimum S. Ignatii Discipulum, ac prodigiis clarum, dum viveret, et postquam e vita decessit, *Franciscum de Hieronymo* cum etiam post indultam eidem a Sede Apostolica venerationem Deus Optimus Maximus novis miraculis illustrare voluerit, Rmus P. Joannes Roothaan Societatis Jesu Præpositus Generalis, Causæque Postulator diligentissimus, omne dedit negotium, ut rite de illis conficerentur Inquisitiones, quarum ope citius idem Beatus Sanctorum fastis accensoretur. Itaque duo potissimum splendidissima Miracula Cryptaleis, hoc est in patria ejusdem Beati, ac Dioecesi Tarentina patrata elegit, super quibus jam in Curia præsto sunt legitimæ probationes.

2 Quas quidem ne subito proferamus, obstant, atque officiunt Sacri hujus Senatus disciplina, ac decreta, quibus præcipitur, ne ad Miraculorum examen procedi possit, nisi prius de Processuum validitate fuerit judicatum. Præceptis humillime obsequuti, præsens dubium de validitate Processus Apostolici super novis miraculis B. Francisci de Hieronymo intercessione patratis in Dioecesi ac Civitate Tarentina constructi hodie pro-

2

1 ponimus discutiendum sine tamen voto et interventu Rmorum Consultorum ex Pontificio Decreto, quod in nostro *Summario num.* 6. retulimus.

3 Tria esse, quæ Processuum Apostolicorum validitatem conficiunt, *Jurisdictionem* videlicet ex parte Judicis, *Procuræ Mandatum* ex parte Actoris, *Citationem* ex parte Collitigantis, seu Fisci, compertum est omnibus, exploratumque. *Primum* illud Literæ Remissoriales Sacræ hujus Congregationis ostendunt relatæ in *Summ. num.* 1., quibus præsens Processus, de cujus validitate quæstio habetur, fuit elucubratus: *alterum* indicat *Sum. num.* 2. sub quo legitur Procuræ mandatum in personam Adm. R. P. Alphonsi Mariæ Vinzi Sacerdotis e Societate Jesu a Rmo P. Præposito Generali factum: *postremum* Acta Processus ubique probant, ex quibus constat in quolibet actu alterum ex deputatis Sub-Promotoribus et citatum, et præsentem extitisse. Itaque Actorum seriem evolvemus.

4 Concessis, expeditisque die 9 Aprilis vertentis Anni 1831. Literis Remissorialibus, quæ erant directae Rmo Archiepiscopo Tarentino, Ejusque Vicario Generali, et quatuor Canonicis, seu Dignitatibus illius Ecclesiae Metropolitanae ab eodem Archiepiscopo nominandis et eligendis, iisdemque Literis Tarentum perventis, comparuit die 17. Maii coram supradictis Rmo Archiepiscopo Tarentino, Ejusque Vicario Generali pro Tribunali sedentibus una cum Cataldo Sacerdote Bari Notario et Cancellario Archiepiscopali, prout docuit sui Tabellionatus tabulis *Pr. f.* 62. Adm. R. P. Alphonsus Maria Vinzi Postulator in Causa constitutus, qui dictarum Literarum fasciculum clausum, et obsignatum iisdem Rmo Archiepiscopo Tarentino, Ejusque Vicario Generali exhibuit una cum alio fasciculo pariter clauso, sigillisque munito R. P. D. Promotoris Fidei de Urbe petens, atque instans illum et hunc admitti, locumque, et locum loci, diemque, et horam pro formali praesentatione, et admissione designari, et contenta in iisdem debitae executioni demandari. Huic petitioni annuentes Rmus Archiepiscopus, Ejusque Vicarius Generalis, eumdemque R. P. Alphonsum Mariam Vinzi in verum, ac legitimum Procuratorem admittentes, illico utendo facultatibus sibi in externa plici inscriptione tributis, nominarunt in Conjudices quatuor Dignitates seu Canonicos Ecclesiæ Metropolitanae Tarentinae, hoc est Rmos DD. Franciscum de Giorgio Cantorem seu secundam dignitatem, Aloysium Peluso Canonicum, Angelum Pricci Canonicum Poenitentiarium, et Michaelem de Sinno Canonicum, quos etiam moneri voluerunt, ut postero die in eodem loco interessent, atque etiam mandarunt relaxari Citationem contra D. Fidei Sub-Promotorem in Literis Remissorialibus deputatum ad comparendum pariter eodem loco, et die, et assistendum dictarum Literarum praesentationi, et aperitioni, aliisque ad Processus antedicti constructionem incipiendam, et absolvendam *Proc. fol.* 10. *et seq.*

5 Con-

5 Constituta die, omnibus ex edicto gestis, comparuit Causae Procurator, repetitisque tam Citatione contra Sub Promotorem exequuta, quam Procurae mandato, Literarum Remissorialium fasciculum Rmis Judicibus Delegatis pro Tribunali sedentibus denuo exhibuit petens et instans ad earum aperitionem deveniri, et in eis contenta ad exequutionem mandari. Tum Rmi Judices R. P. Alphonsum Mariam Vinzi in verum ac legitimum Caussae Procuratorem iterum admiserunt, acceptumque ab ejus manibus Literarum Remissorialium fasciculum, quem post accuratam inspectionem integrum declararunt, Notario tradiderunt, atque externam inscriptionem in Actis registrari jusserunt. Deinde Rmus Archiepiscopus supradictum fasciculum Literarum Remissorialium e manibus Notarii accipiens, illum aperuit, traditoque Fidei Sub-Promotori alio fasciculo Interrogatoriorum in Plico dictarum Literarum incluso, non aperiendo, nisi in actu examinis Testium, et per Notarium clara et intelligibili vnce Literarum Remissorialium tenore perlecto, deinde etiam Literis R. P. D. Fidei Promotoris recitatis, illas admiserunt, et delegatam sibi jurisdictionem, et Sub-Promotoris Fidei officium respective acceptantes, primum Rmus Archiepiscopus, omnes praeterea Conjudices unus post alium tactis respective pectore, et Sacris Evangeliis juramentum de munere fideliter adimplendo, deque secreto servando praestiterunt, atque mandarunt describi per Notarium stipulantem externam inscriptionem R. P. D. Fidei Promotoris Interrogatoriorum *Proc. f.* 13, *ad fol.* 23.

6 Qua descriptione peracta, et dictorum Interrogatorium fasciculo clauso adhuc, sigillisque munito, consignato Fidei Sub-Promotori supradicti Rmus Archiepiscopus, Ejusque Vicarius Generalis, et quatuor Canonici seu Dignitates Judices Delegati utendo facultate sibi in Literis Remissorialibus attributis Adm. RR. DD. Sacerdotes Josephum Montira, et Vincentium Cosa in alios Fidei Sub Promotores, in Notarium vero Actuarium R. D. Franciscum Sebastium Ecclesiastica auctoritate creatum, prout docuit sui Tabellionatus tabulis, in Cursorem vero Stephanum de Pace elegerunt, ac nominarunt, quibus ibidem praesentibus, et munus acceptantibus illico juramentum de munere fideliter exercendo, et secreto servando detulere, quod iidem nulla mora praestiterunt. Demum dies et horas et loca locorum Sacra pro Testium examinibus recipiendis, reservata facultate variandi, quoties libuerit, destinarunt, et citationem contra Sub-Promotores relaxarunt ad dicendum contra jura, et articulos in Romana Curia datos et admissos, et in corpore Literarum Remissorialium insertos, videndum induci Testes, eorum juramentis et examinibus assistendum, uti apparet ex *Proc. fol.* 23. *ad fol.* 27.

7 Ad cujus citationis terminum praefinito die coram Rmis Judicibus deputatis comparuit Causae Postulator, qui repetens omnia et singula acta illuc usque gesta, juraque producta atque exhi-

 bita

bita, articulosque in Romana Curia datos, institit omnia ad probandum admitti, induxit, ac nominavit in Testes omnes in notula descriptos, quam facto exhibuit, petiitque relaxari opportunas citationes contra Testes inductos ad jurandum, reservata sibi facultate alios inducendi, si libuerit, non se tamen adstringens ad onus omnes, et singulos examinandi. Huic instantiae annuentes Rmi Judices Delegati, audita Fidei Sub-Promotoris protestatione, omnia, et singula jura repetita, quomodocumque ad Causam spectantia juxta eamdem protestationem admiserunt, delatoque eidem Caussae Procuratori juramento calumniae, quod ipse ad Sancta Dei Evangelia praestitit, mandarunt Testes in descripta notula enunciatos induci, eisdem deferri juramentum, et ad examen admitti, et citationes tam contra omnes et singulos Testes ad juramentum, quam contra Sub-Promotores ad assistendum relaxarunt. *Proc. fol.* 55. *ad f.* 58.

8 Posteriora Acta Cryptaleis gesta sunt, quo se Rmus Archiepiscopus, et Michael Canonicus De Sinno Judex Deputatus, et R. D. Dominicus Gigli Sub-Promotor in Literis Remissorialibus Deputatus, Caussaeque Postulator, ac Notarius Actuarius se contulerunt, ne nimio incommodo, et oneri essent Testibus agris colendis, rebusque domesticis addictis. *Proc. fol.* 64.

9 Reproductis hisce Citationibus exequutis, Fidei Sub-Promotore praesente Rmi Judices Delegati primum Cursori noviter electo de munere fideliter exercendo, tum Testibus ad Caussae Procuratoris instantiam de veritate dicenda, et secreto servando juramentum detulere, uti probat Tabella Testium *Sum. num.* 3. Tum relaxata citatione tam contra alterum ex Fidei Sub-Promotoribus ad interessendum, quam contra Testem primo loco examinandum, ac se examini subiiciendum, deventum fuit ad ejus examen. Ac primo juxta R. P. D. Promotoris Fidei Interrogatoria, quae in hoc actu a Fidei Sub-Promotore fuerunt exhibita, et aperta, deinde super articulis fuit examinatus: depositio postquam fuerat absoluta eidem Testi fuit lecta, et ab ipso approbata, ac subscripta, ac demum una cum Interrogatoriis obsignata. *Proc. fol.* 64. *ad fol.* 89. Hanc porro ritualitatem in omnibus Testium examinibus Judices servarunt.

10 Post III. Testis examen Caussae Postulator facultate usus sibi reservata, quinque alios Testes induxit, circa quorum juramentum, et examen legitima omnia sunt confecta, quemadmodum probant et Tabella Testium *Summ. num.* 3. et Processus tabulae *fol.* 107.

11 Absoluto VIII. Testis examine, cum Notarius Actuarius ob obstructionem jecoris, lentamque flogosim tabulae assidere, operamque Processus constructioni conferre diutius non posset, Caussae Postulator morbi fidem Rmis Judicibus exhibuit, qui eam in Actis registrari mandarunt, et ad ejusdem Procuratoris instantiam R. D. Josephum Catapanum Notarium Ecclesiastica auctoritate creatum, uti docuit Tabellionatus sui privilegio in actis registrato, priori Actuario suffecerunt, qui subito ad Rmorum Ju-

Judicum delationem, juramentum de munere fideliter exercendo, et secreto servando emisit. *Proc. fol.* 141. *et seq.*

12 Quum vero Summus Pontifex Gregorius XVI. rescripto diei 29. Aprilis hujus Anni 1831. potestatem Judicibus pro hoc Processu a se Delegatis fecisset, ut pro suo arbitratu ante Processus publicationem Amanuenses ad Acta exemplanda eligerent, eam ob causam idem Caussae Postulator post Testis XIII. examen supplici libello apud Rmos Judices institit, ut ad Amanuensium electionem devenirent. Cui instantiae Rmi Judices annuentes RR. DD. Aloysium Micera Canonicum Priorem, et Cyrum Paschalem Orlandi Canonicum Ecclesiae Metropolitanae in Amanuenses elegerunt, ac nominarunt, eisdem de munere fideliter adimplendo, et secreto servando, foliisque diligenter sub clavi custodiendis prius juratis acta illuc usque gesta ad exemplandum consignari, et supplicem Postulatoris libellum, ac Pontificium rescriptum in Actis inseri voluerunt. *Proc. f.* 196.

13 Dum Testis XX. subiret examen Mense Junio, tam Rmus Archiepiscopus Tarentinus, quam Canonicus Sinno Judices Delegati, qui se Cryptaleas ad conficiendum Processum contulerant, tam ob aeris insalubritatem, quam ob minus firmam ipsius Rmi Archiepiscopi valetudinem Tarentum reverti, ibique Processum absolvere constituerunt. Id cum Fidei Sub-Promotori innotuisset, statim exhibuit notulam plurium Contestium, quorum sex adhuc erant superstites, et institit contra eos, propterea quod Tarentum contendere non possent, citationem relaxari ad jurandum, ac se examini subiiciendum. Cum id, annuentibus Rmis Judicibus, factum esset, sex Contestes fuerunt examinati cum omnibus solemnitatibus, quae in aliorum Testium examine adhibebantur, ut videre est in Tabella Testium *Summ. num.* 3. et in Processu *a fol.* 268. *terg. ad fol.* 289. Coeterorum Contestium, qui erant praemortui, fides obitus fuerunt in Actis compulsatae. *Proc. fol.* 290.

14 Caetera deinde Processus Acta in Civitate Tarentina continuata fuerunt, et absoluta. Ac primo quidem cum Amanuenses Cryptaleis electi Tarentum venire nequiverint, absoluta exemplaria cum originalibus tradiderint, et Causae Postulator alium Amanuensem Tarenti eligendum petierit, Rmi Judices D. Nicolaum de Gennaro elegerunt, ac nominarunt in Amanuensem seu Scribam, cui simili juramento, ac aliis Amanuensibus delato, illoque praestito, Acta consignari mandarunt. *Proc. fol.* 292. *et seq.*

15 Qui quidem Nicolaus de Gennaro cum post longum temporis intervallum vix manus ad exemplationis prosequutionem admovisset, Rmi Judices ad Causae Postulatoris instantiam in alium Amanuensem D. Franciscum Catapano nominarunt, illique similiter jurato caetera originalia, et Acta consignari mandarunt. *Proc. fol.* 367. *et seq.*

16 Interea in Civitate Tarentina coeterorum Testium examina continuabantur, donec post XXIX. Testis examen Causae Procura-

rator declaravit se non habere alios Testes inducendos, et examini subiiciendos, excepto Michaele Masella Teste jam inducto, ac monito pro examine, propterea que institit singula fieri in Literis Remissorialibus contenta, et ad complementum, et publicationem Processus deveniri. Tum Fidei Sub-Promotor protestatus fuit, Testes ex Officio ex Remissorialium Literarum præscripto esse nominandos, ad quem effectum Rmi DD. Judices Delegati protestationem admittendo in Testes ex Officio nominarunt RR. DD. Sacerdotes Vincentium Piergianni, et Vincentium Anniehiarico, et citationem contra eos ad comparendum, jurandum, et examini se subiiciendum relaxarunt. Iidem deinde Rmi Judices Delegati Literis Remissorialibus inhærendo, deputarunt Exmos DD. Doctores Physicos Paschalem, et Josephum Magiulli, ac Vitum Antonium Simeone, ut recognoscerent praesentem salutis statum tam Cajetani Santoro, quam Mariae Josephae Greco intercessione B. Francisci de Hieronymo a desperatis morbis sanatorum, utque relationes suas scripto registrarent, delato prius, atque ab iisdem Physicis Doctoribus praestito juramento ad Sancta Dei Evangelia de veritate dicenda, *Proc. fol.* 365.

17 Alio die absoluto jam examine XXX. Testis inducti. *Proc. f.* 370. Testes ex officio nominati, ac citati juramentum coram Rmis Judicibus emiserunt, ac postea subierunt examen, legitimis solemnitatibus servatis, uti demonstrat Tabella Testium *Sum. num.* 8. et Processus *fol.* 375. *ad fol.* 395.

18 Absoluto omnium Testium examine praefati Doctores Phisici deputati pro recognitione praesentis status salutis Sanatorum Cajetani Santoro, et Mariae Josephæ Greco aote Rmos Judices comparueruot, emissoque prius juramento suas relationes in scriptis exaratas tradiderunt, qoas iidem Rmi Judices in Actis registrari mandarunt. *Proc. fol.* 396. *et seqq.*

19 Tum demum Rmi Judices Delegati, instante Causae Postulatore, decreverunt, Interrogatoria aperta relinqui, ac in Actis registrari; insuper fieri collationem Transumpti cum originali, ad quem finem deputarunt in Notarium Adjunctum R. D. Franciscum Sebastio, qui fuit primus Notarius Actuarius, qui jam in Actis juraverat, ut insimul cum Notario Actuario exercente, collatiooem conficeret. *Proc. fol.* 402.

20 Itaque praestituto die Nicolaus de Gennaro, et Franciscus Catapaoo Processus Copiam a se absolutam, perfectamque Rmis Judicibus exhibuere, qui ad instantiam ipsius Caussae Procuratoris dictam Copiam deputatis Notariis ad collationandum cum exhibito originali tradiderunt. Quapropter Notarius Actuarius originale sumpsit, et Adjunctus exemplar prae manibus habens, alta et intelligibili voce coram ipsis Rmis Judicibus, et Fidei Sub-Promotore praesente legit, coque modo undecim Sessionibus omnem collationem absolverunt, fideinque deinde suam de perfecta exempli cum originali concordia in Actis emiserunt, quam deinde Rmi Judices decreto suo confirmarunt. *Proc. f.* 415. *ad fol.* 436.

21 Quum

Digitized by Google

21 Quum Processus originale in Archiepiscopali Archivio Rmorum Judicum mandato fuerit repositum, eodem mandato Adm. R. D. Dominicus Gigli alter ex Fidei Sub-Promotoribus in Literis Remissorialibus deputatus, et Secretariae Sacrorum Rituum Substitutus fuit electus, qui ejusdem Processus Transumptum debitis subscriptionibus sigillisque munitum Romam ad SS. RR. Congregationem deferret, Quod ille cum acceptasset, et juramentum de fideliter asportando emisisset. *Proc. fol.* 436. muneri suo adamussim satisfecit.

22 Nihil est, quod plura addamus. Ex his enim ipsius Tarentini Processus ritualitas, ac validitas evidentissime perspicitur. Ut igitur praeinserto dubio aequi, bonique, Principes Eminentissimi, *Affirmative* respondeatis, humillimas nostras preces, supplicationesque Rmi P. Joannis Roothaan Societatis Jesu Præpositi Generalis, Caussaeque Postulatoris religiosissimi ingeminare haud praetermittimus.

Quare etc.

Franciscus Bartoleschi

REVISA

Andreas M. Frattini S. R. C. Assessor, et Fidei Sub-Promotor.

Digitized by Google

Digitized by Google

NEAPOLITANA
CANONIZATIONIS
BEATI FRANCISCI
DE HIERONYMO
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

SUMMARIUM
SUPER DUBIO

An constet de validitate Processus Apostolici in Dioecesi Tarentina constructi super Miraculis, quæ supervenerunt post indultam eidem Beato venerationem; Testes sint rite, ac recte examinati, ac jura producta legitime compulsata in casu, et ad effectum de quo agitur?

Carolus Maria Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Pedicini Episcopus Prænestinus Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus.

Reverendissimo Archiepiscopo Tarentino, ejusque Vicario Generali, et quatuor Dignitatibus seu Canonicis illius Metropolitanæ Ecclesiæ ab eodem Reverendissimo Archiepiscopo eligendis et nominandis Judicibus per Sa: Me: Pium PP. VIII. Sacramque Rituum Congregationem, et Nos, uti Ponentem, seu Relatorem Delegatis ad effectum construendi in Civitate, et Archidiœcesi Tarentina Processum Apostolicum super novis assertis Miraculis a Deo Optimo Maximo in eadem Archidiœcesi Tarentina patratis, intercedente Beato Francisco De Hieronymo Sacerdote Professo Societatis Jesu, post indultam eidem ab Apostolica Sede venerationem; cum clausula tamen, quod Reverendissimus Archiepiscopus Tarentinus cum suo Vicario Genera-

Num. 1.
Literae Remissoriales pro construendo Processu Apostolico super novis Miraculis in Diœcesi Tarentina superventis.

Proc. fol. 28. *terg. ad fol.* 41. *terg.*

rali, vel altera ex Dignitatibus, seu Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ, vel eo impedito Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, utroque vero impedito, ipsæ quatuor Dignitates, seu Canonici singulis Processus Sessionibus, et actis conjunctim semper, et non divisim interfiot, et assistant, cum facultate alium, vel alios in casu mortis, vel impedimenti eorumdem substituendi, et subrogandi. Salutem in Domino, et in commissis obedientiam, ac nostris hujusmodi, imo verius Apostolicis, firmiter obedire mandatis. Noverit Amplitudo Tua Reverendissima, Archiepiscope Tarentine, Vosque illius Vicarie Generalis, et quatuor Dignitates seu Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Tarentinæ, ut supra eligendi, et nominandi noveritis, quod expletis die undecima Maii Millesimi Octingentesi sexti in Vaticana Basilica Solemniis Beatificationis tunc Venerabilis Servi Dei modo Beati Franscisci De Hieronymo in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habita die tertia Septembris Millesimi Octingentesimi octavi ad relationem claræ memoriæ Cardinalis Saluzzo tunc Causæ prædictæ Relatoris, propositum fuerit dubium pro signatura Commissionis reassumptionis Causæ dicti Beati Francisci De Hieronymo in statu, et terminis, in quibus illa reperiebatur, ad effectum procedendi ad ulteriora in Causa illius Canonizationis, et Sacra eadem Congregatio rescribendum consuerit, dictam Commissionem signari posse, si Sanctissimo visum fuerit, prout ex Decreto eadem die facto, et a Sanctissimo approbato, ad quod condigna habeatur relatio, et patet ex originali Commissione manu Sanctæ Memoriæ Pii Papæ Septimi signata, et in Actis Cancellariæ ejusdem Sacræ Congregationis præsentata die vigesimaoctava Aprilis Millesimi octingentesimi noni, sub sequenti tenore videlicet.

§. 1. *Clausula in Literis expressa.*

§. 2. *Commissio Reassumptionis Causæ.*

NEAPOLITANA.

Beatissime Pater

Adeo hactenus aucta fuit, atque in dies magis, magisque augetur fama Sanctitatis Beati Francisci de Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu, una cum Miraculis, quæ Omnipotens Deus ejus meritis, et intercessione concedere dignatur, ut concepta in diversis mundi partibus, maxime vero Neapoli, ubi pie in Domino obdormivit, et mortales ejus exuviæ requiescunt, atque a cujuslibet ordinis personis ad ejus Sepulchrum confluentibus religiose coluntur erga eum devotionem a plerisque in eorum necessitatibus invocetur, et plurium etiam gravium virorum existimatione Canonizationis honore dignus, intercedente Sanctitatis Vestræ judicio reputetur. Quoniam igitur novis, quae

§. 3. *Tenor Commissionis Reassumptionis Causæ.*

quæ post ejus Beatificationem supervenerunt Miraculis auditur Deus amicum suum, ut superius ascendat, invitare: hinc pro parte devoti Sanctitatis Vestræ Oratoris Alphonsi ex Comitibus de Muzzarellis Postulatoris specialiter in hac Causa, constituti, humiliter eidem Sanctitati Vestræ supplicatur, quatenus dignetur Causam Canonizationis ejusdem Beati Francisci, confirmando, quatenus opus sit in Ponentem Rmum Cardinalem Salnzzo jam a Sanctitate Vestra deputatum, Sacrorum Rituum Congregationi committere, cum facultate expediendi ad quascumque mundi partes Litteras Remissoriales ad aliquos Archiepiscopos, seu Episcopos, ad effectum conficiendi Processus super Miraculis, quæ supervenisse feruntur post Beatificationem ejusdem Beati, ob eumdemque effectum articulos ad eosdem Archiepiscopos, seu Episcopos transmittendi, super quibus, et super Interrogatoriis per Reveren. Patrem Promotorem Fidei conficiendis debeant per ipsosmet, et non per alios testes examinari cum interventu Sub Promotoris Fidei per eumdem Promotorem in Curia nominandi, et cum potestate citandi, et inhibendi etiam sub censuris etc. et etiam per Edictum etc. contradictores etc. invocato etc., et aliis facultatibus opportunis. Quibus peractis ea quæ invenerint fideliter rescribant, et Processus hujusmodi ad eamdem Sacram Congregationem sub sigillo clausos per fidelem Nuncium transmittant cum ipsorum Literis in quibus significent an eis videatur, quod prædictis Testibus, et eorum depositionibus sit danda fides, nec non cum facultate recipiendi probationes si opus fuerit, etiam in Curia, et committendi Rmo Cardinali Vicario, ut per se, seu Episcopos, et in loco ab eo deputando, testes examinentur prævia Citatione, et cum interventu dicti Promotoris, vel ejus Sub-Promotoris super iisdem articulis, et Interrogatoriis sub censuris, pœnis, et aliis facultatibus antedictis, aliaque omnia, et singula in præmissis, et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna faciendi, et exequendi. Absolutis vero dictis Processibus, atque exhibitis in Actis præfatæ Sacræ Congregationis, cum facultate denique de eorum validitate, et relevantia cognoscendi, et referendi Sanctitati Vestræ in Congregatione coram eadem Sanctitate Vestra habenda, an Miracula talia sint, propter quæ ad Canonizationem dicti Beati Francisci De Hieronymo juxta Sacrorum Canonum Decreta, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum deveniri possit. Non obstantibus Constitutionibus etiam in universalibus, et Synodalibus Conciliis editis, et aliis ordinationibus Apostolicis, regulis Cancellariæ; cæterisque contrariis quibuscumque statum etc. tenores etc. pro plena et sufficienter expressis habendos

Placet

Gregorius Barnabas

§. 4.
Subscriptio Summi Pontificis,

§. 5.
Concessio Literarum Remissorialium ad construendum Processum super novis Miraculis.

Deinde vero, quum Altissimus dignatus fuerit post indultam dicto Beato venerationem patrare Miracula ad ejusdem assertam intercessionem præsertim in Oppido, cui nomen vulgo Grottaglie Tarentinæ Archidiœcesis; idcirco Reverendus Pater Joannes Roothaan Præpositus Generalis Societatis Jesu Causæque prædictæ hodiernus Postulator cupiens super iisdem assertis Miraculis necessarias recipi probationes, Sanctæ memoriæ Pio Papæ Octavo humillime supplicaverit, ut concedere dignaretur Litteras Remissoriales dirigendas Vobis Judicibus, et Sanctitas Sua benigne concesserit easdem Remissoriales Litteras dirigendas vobis ut supra Delegatis Judicibus cum superius expressa clausula, aliisque omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, præfinito unius anni termino a die præsentationis dictarum Literarum Remissorialium Vobis Delegatis Judicibus faciendæ duraturo, prout ex Decreto Sanctitatis suæ facto die vigesimaseptima Novembris Millesimi Octingentesimi trigesimi, quod ita se habet.

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS

Beati Francisci De Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu.

§. 6.
Tenor decreti supradictæ concessionis.

Post indultam ab Apostolica Sede venerationem Beato Francisco De Heronymo Sacerdoti Professo Societatis Jesu, ad ejusdem intercessionem a Deo Optimo Maximo nonnulla narrantur patrata miracula, præsertim in Oppido, cui nomen vulgo Grottaglie Tarentinae Archidiœcesis, quae natale solum ejusdem Beati fuit, propterea Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Octavum Pontificem Maximum humillime exoravit Reverendus Pater Joannes Roothaan Praepositus Generalis ipsius Societatis Jesu Caussaeque praedictae modernus Postulator pro concessione Literarum Remissorialium et Compulsorialium Sacrorum Rituum Congregationis ad Processum Apostolica Auctoritate in Archidiœcesi Tarentina super assertis Miraculis construendum dirigendarum Reverendissimo Archiepiscopo Tarentino, ejusque Vicario Generali, et quatuor Dignitatibus seu Canonicis illius Metropolitanae Ecclesiae ab eodem Rmo Archiepiscopo eligendis, et nominandis; Sacrorum Rituum Congregatio ex speciali Apostolica Delegata facultate benigne concessit praefatas Literas Remissoriales et Compulsoriales ut supra dirigendas: cum clausula tamen quod Reverendissimus Archiepiscopus Tarentinus cum suo Vicario Generali, vel altera ex Dignitatibus seu Canonicis Metropolitanae Ecclesiae, vel, eo impedito

dito, Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, utroque vero impedito, ipsae quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus sessionibus et actibus conjunctim semper, et non divisim intersint, et assistant; cum facultate alium, vel alios in casu mortis vel impedimenti eorumdem substituendi, et subrogandi, praefinitoque unius anni termino a die praesentationis supradictarum Literarum inchoando ad inquisitionem praedictam absolvendam, cumque omnibus aliis facultatibus necessariis et opportunis in hujusmodi Apostolicis Literis apponi solitis et consuetis. Die vigesimaseptima Novembris Millesimi Octingentesimi trigesimi.

Carolus Maria Episcopus Praenestinus Cardinalis Pedicini Praefectus

Loco ✠ Sigilli

Joseph Gaspar Fatati Sacrorum Rituum Congr. Secr.

§. 7. *Citatio contra R. P. D. Fidei Promotorem, et productio articulorum.*

Citato igitur coram nobis Reverendo Patre Domino Virgilio Pescetelli Sanctæ Fidei Promotore primo ad dicendum contra dictam Commissionem, præfatumque decretum, et successive contra Positiones seu Articulos in Actis facto datos, quorum copia sibi transmissa fuit, ad effectum super illis Auctoritate Apostolica examinandi Testes in Civitate, et Archidioecesi Tarentina, et construendi Processum super dictis assertis miraculis in specie ut supra patratis, videndum illas et illos ad probandum admitti, Testes ut supra inducendos mandari examinari, ac decerni, et relaxari Literas Remissoriales in dicta Civitate, et Archidioecesi exequendas, Vobisque Judicibus ut supra Delegatis cum superius expressa clausula, et facultatibus infra terminum unius anni procedentibus dirigendas, ad formam decreti Sanctæ memoriæ Pii Papæ Octavi concordandum de Judicibus antedictis termino, et locis, locorumque locis et Portitore, constituendumque aliquem, seu aliquos Fidei Sub-Promotorem seu Sub-Promotores per Acta infrascripti Cancellarii, qui in dicta Civitate et Archidioecesi Tarentina commode citari possint, et examinibus Testium, ac Processui antedicto intersint, dandum Interrogatoria in iisdem Literis includenda, alias videndum mandari procedi per affixionem ad valvas Ecclesiæ Metropolitanæ Tarentinæ, vel Majoris Ecclesiæ loci intra dictam Archidioecesim deputandi, Testes examinari, Literasque Remissoriales expediri, claudi, et sigillari absque dictis Interrogatoriis, et decretum quodcumque desuper necessarium, et opportunum fieri, et interponi ad infrascriptam diem; qua adveniente, ac in dictæ Citationis termino comparuit in judicio dictus Reverendus Pater Joannes Roothaan Præpositus Generalis Societatis Jesu, Causæque prædictæ Postulator, et facto

pro-

produxit Positiones seu Articulos in calce præsentium registrandos, petiitque, et institit illas et illos ad probandum admitti, testes ut supra inducendos mandari examinari, ac decerni, et relaxari Literas Remissoriales in Civitate, et Archidioecesi Tarentina infra terminum unius anni, ut supra inchoandi exequendas, et dirigendas Amplitudini Tuæ Rmæ Archiepiscope Tarentine, Vobisque illius Vicarie Generalis et quatuor Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ Tarentinæ ab eadem Amplitudine Tua nominandis, et eligendis, cum antedicta clausula, ut vel Amplitudo Tua Reverendissima Archiepiscope Tarentine cum tuo Vicario Generali, vel altera ex Dignitatibus, seu Canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ, vel Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus, seu Canonicis, vel utroque impedito, ipsæ quatuor Dignitates, seu Canonici singulis Processus actis ac Sessionibus conjunctim semper et non divisim intersint, et assistant, et cum facultate alium, vel alios in casu mortis, vel impedimenti ab eodem Rmo Archiepiscopo substituendi, et subrogandi, prout in dicta Citatione habetur, et latius infra dicetur. Nosque Cardinalis Pedicini Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus earumdem Commissionis, et postremi decreti formam exequendo, easdem Positiones et Articulos ad probandum admisimus, Testes desuper inducendos examinari mandavimus in dicta Civitate, et Archidioecesi Tarentina infra terminum unius anni ut supra inchoandi, præfatasque Literas Remissoriales super dictis novis assertis miraculis vobis ut supra Delegatis Judicibus cum superius expressa clausula dirigendas, decrevimus, et relaxavimus, ac expediri, claudi, et sigillari mandavimus cum omnibus, et singulis facultatibus necessariis, et opportunis. Pro loco vero loci, seu locis locorum in eadem Civitate, et Archidioecesi Tarentina locum et loca per Vos Judices Delegatos ut supra procedentes, eligenda, Portitoremque pro harum Literarum adsportatione deputavimus, et alias, prout in actis infrascripti Cancellarii dictæ Sacræ Congregationis; injungendo tamen juxta dispositionem novissimorum decretorum ejusdem Sacræ Congregationis, quod ante inchoationem Processus vigore præsentium Literarum Remissorialium conficiendi per Vos ut supra Delegatos Judices juramentum præstetur in Processum omnino registrandum, sequenti forma in iisdem decretis præscripta, videlicet.

§. 8. *Admissio articulorum.*

§. 9. *Literarum concessio.*

§. 10. *Formula juramenti a Judicibus præstandi.*

Ego N. N. (exprimendo nomen et cognomen) tacto pectore (quoad Rmum Archiepiscopum Tarentinum) quoad vero Vicarium Generalem, et quatuor Dignitates seu Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Tarentinæ ut supra nominandos, et eligendos) tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro, et promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem Processus Apostolici in Causa

sa Canonizationis Beati Francisci De Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu juxta formam decretorum Sacræ Rituum Congregationis, et præcipue novissimorum, quæ confirmata fuerunt a Venerabili Servo Dei Innocentio Papa Undecimo, nec non juro, et promitto religiose servare secretum tam de contentis in Interrogatoriis, quam de Testium depositionibus super iisdem, et super articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona exceptis aliis Judicibus, Sub Promotoribus et Notario pro eodem Processu deputatis; sub pœna perjurii, et excommunicationis latæ sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim, et ita promitto, et juro; sic me Deus adjuvet (subjungendo Vos Vicarie Generalis, et quatuor Dignitates seu Canonici antedicti) et hæc Sancta Ejus Evangelia. Quocirca Vos Judices modo quo supra Delegatos, de quorum integritate, zelo religionis, perpetuaque, ac debita erga Sanctam Sedem Apostolicam obedientia plurimum in Domino eadem Sacra Congregatio confidit, et Nos quoque confidimus, requirimus, et monemus, eisdemque etiam Apostolica, qua dicta Sacra Congregatio, et Nos in hac parte fungimur, ac ejusdem Sacræ Congregationis Ordinaria auctoritatibus committimus et mandamus, ut Amplitudo Tua Reverendissima Archiepiscope Tarentine cum tuo Vicario Generali, vel altera ex Dignitatibus, seu Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ, vel Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus, seu Canonicis, vel utroque impedito ipsæ quatuor Dignitates, seu Canonici singulis Processus actis, ac Sessionibus, conjunctim semper, et non divisim intersint, et assistant, et cum facultate alium, vel alios in casu mortis, vel impedimenti a Reverendissimo eodem Archiepiscopo substituendi, et subrogandi, ac non alias aliter, nec alio modo, vice ejusdem Sacræ Congregationis, et nostra in singulis actis respective procedentes, ac pro tribunali sedentes intra dictum unius anni terminum ut supra inchoandum, omnes, et singulos testes, scripturas, jura, et alia quæcumque probationum genera, qui, et quæ coram iisdem Judicibus præsentium exequutoribus in dicta Civitate, et Archidioecesi Tarentina induci, produci, et exhiberi contigerit a Personis legitima mandata Procuræ habentibus, recipiant, et admittant. Et primo juxta Interrogatoria per dictum R. P. D. Fidei Promotorem data, et præsentibus nostris adjuncta clausa, et sigillata, non aperienda, nisi coram iisdem præsentium Literarum Judicibus exequutoribus in actu examinis, denuoque claudenda, et obsignanda eorumdem Sigillis in fine cujuslibet Sessionis examinis Testium, prout simili modo claudi, et obsignari debebunt ipsorum Testium depositiones (exprimendo, et adnotando singillatim in eodem Pro-

§. 11. *Facultas compulsandi jura.*

§. 12. *Testes juxta interrogatoria prius examinandi.*

§. 13. *Eadem interrogatoria singulis vicibus claudenda.*

Processu actus aperitionis, et clausuræ hujusmodi) sicque clausa, et obsignata cum eisdem Testium depositionibus retinenda usque ad totalem absolutionem Processus, et deinde super dictis Positionibus, et Articulis in Ecclesiis, Oratoriis, piisque locis, et in loco cujuslibet ex iisdem locis, et quoad infirmos, aut alios legitime impeditos in aliis quibuscumque locis per eosdem Judices exequutores deputandis, et semper exprimendis tam in Citationibus contra eosdem Testes, et Fidei Sub-Promotorem, seu Sub-Promotores a dicto Reverendo Patre Domino Promotore Fidei nominatos, seu nominandos exequendis, quam in juramentis ab iisdem Testibus præstandis, et examinibus ab eis faciendis, Testes ipsos omnes, et singulos diligenter examinent, recepto tamen prius in manibus Judicum præsentium Literarum exequutorum ab iisdem Testibus cujuscumque status, gradus, conditionis, et sexus existant, etiam Sacerdotibus tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis, et non alias juramento, non solum de veritate dicenda de iis, super quibus examinabuntur, verum etiam de servando secretum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ in casu contraventionis juxta sequentem formulam in dictis novissimis decretis præscriptam, videlicet.

§. 14. *Sub-Promotores ac Testes citandi.*

§. 15. *Formula juramenti per Testes præstandi.*

Ego N. N. (exprimendo nomen, et cognomen) tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis, juro, et promitto dicere veritatem tam super Interrogatoriis, quam super articulis, super quibus examinabor in Causa Canonizationis Beati Francisci de Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu, nec non servare secretum, nec alicui penitus revelare tam contenta in iisdem Interrogatoriis, quam responsiones, et depositiones a me faciendas sub pœna perjurii, et excommunicationis latæ sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim, et ita promitto, et juro, sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta ejus Evangelia.

§. 16. *Testes ex officio nominandi.*

§. 17. *Prævio juramento.*

§. 18. *Notarius publicus Ecclesiasticus adhibendus.*

Absoluto vero examine Testium a Procuratore Causæ inducendorum, alios Testes de dictis novis assertis Miraculis bene conscios ab iisdem Judicibus præsentium exequutoribus ex officio, prout in dictis novissimis decretis disponitur inducendos, pari modo examnient juxta Interrogatoria dicti Reverendi Patris Domini Promotoris Fidei, et prævio juramento veritatis dicendæ, et secreti servandi ab eis juxta relatam formulam præstando in actu examinis, eademque Testium juramenta, nec non depositiones et dicta recipiant, et in scriptis redigi faciant per fide dignum Notarium Apostolica, sive Ecclesiastica auctoritate exentum per eosdem Judices præsentium exequutores deputandum, (dummodo tamen non sit ex Societate Jesu, cujus Beatus Fran-

Franciscus de Hieronymo dum vixit fuit Professus, etiamsi privilegiis Protonotariorum, et aliis quibuscumque quantumvis amplissimis pro rebus, et materiis suæ Societatis scribendis, et actitandis suffultus existat, sub pœna nullitatis Processus eo ipso, absque alia declaratione incurrenda) qui Notarius in manibus dictorum Judicum tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis, de fideliter officium suum exercendo præstet pariter juramentum in Processu omnino registrandum, juxta formulam super hoc dictis Judicibus traditam, mutatis tamen mutandis, animadvertendo prædicti Judices, quod Testes nequaquam se referant ad attestationes alias redditas, neque illis recitentur ea, quæ alias ipsi deposuerunt, sed quæcumque habent explanate, et per extensum deponant, sicuti etiam Delegati Judices, qui testium, et contestium examinibus intererunt, sedulo, diligenterque curare debebunt, ne Testes ad articulos respondentes, generice se expediant, ajendo vera esse, quæ in articulis, sive articulo continentur, nam quidquid sciunt, debent clare, et explanate deponere cum omnibus, et singulis circumstantiis, quæ iisdem vel de visu, vel de auditu, vel alio quocumque modo notæ sunt, etiamsi eædem illæ sint, quæ in articulo, vel articulis ponuntur, et non alias aliter, neque alio modo. Cætera vero Processus acta, aliasque Scripturas, et jura, ut præfertur exhibenda in loco solitæ Audientiæ dictorum Judicum, seu alio ab eis deputando recipiant. Si vero Testes prædicti sese examini subjicere distulerint, seu recusaverint, Testes ipsos ad sese examini subjiciendum sub censuris et pœnis Canonicis, jurisque, et facti remediis opportunis, omni, et quacumque appellatione postposita, cogant, atque compellant; utque prædicta omnia, et singula liberius executioni mandari possint, Nuncium sive Nuncios, Cursorem, seu Cursores pro citationibus aliisque mandatis exequendis (recepto prius ab eis juramento de fideliter officium suum exercendo) similiter deputent. Completo vero Processu eorumdem Testium depositiones, et dicta, nec non Citationes, acta, et actitata quæcumque, omniaque jura producta, fideliter transcribi, et transumptari, et coram iisdem Judicibus præsentium exequutoribus, adhibito alio Notario Apostolico, sive Ecclesiastico (dummodo non sit ex prædicta Societate Jesu, in qua Beatus Hieronymus dum vixit Professus fuit) qui pariter Notarius juramentum præstet de fideliter officium suum exercendo, ut de alio Notario ad causam deputando dictum est, transcriptionem, et transumptum hujusmodi cum suis originalibus auscultari, collationari, et concordari faciant, ac proinde eamdem transcriptionem et transumptum ab eisdem Judicibus exequutoribus subscriptum, eorumque sigillis ab intra munitum, ac in publicam, authen-

§. 19. *Juramento obstringendus.*

§. 20. *Testes explanate deponere debent.*

§. 21. *Renuentes se examini subjicere per censuras compellendi.*

§. 22. *Nuncii, seu Cursores eligendi ac jurandi.*

§. 23. *Notarius adjunctus ad collationem Processus adhibendus.*

§. 24.
Notario de subscriptionibus et sigillis Judicum testandum.

§. 25.
Legalitate apposita Processus Portitori jurato tradendus.

§. 26.
Literæ ad S. R. C. mittendæ de fide adhibenda Testibus.

§. 27.
Alter ex Sub-Promotoribus in omnibus citandus.

§. 28.
Decretum irritans.

thenticamque formam redactum cum subsequenti attestatione Notarii Actuarii super recognitione subscriptionum, et sigillorum dictorum Judicum, describendo etiam formam, et qualitatem dictorum sigillorum cum legalitate in fine, seu attestatione Amplitudinis Tuæ Reverendissime Archiepiscope Tarentine sigillo roborata ab intra, clausumque etiam ab extra sigillo tantum Amplitudinis tuæ Reverendissimæ Archiepiscope Tarentine obsignatum Nuncio, seu Portitori cum juramento, et obligatione de fideliter adsportando ab iisdem Judicibus, a quibus præsentes exequutioni mandabuntur, deputando, una cum Instrumento clausuræ, et obsignationis dicti Transumpti, illiusque consignationis dicto Portitori factæ, pariter ut supra clauso, et sigillato tradant, atque consignent, et ad dictam Sacram Congregationem Rituum, et nos transmitti, ac adsportari curent, et mandent, significantes per literas ipsorum Judicum præsentium exequutorum dictæ Sacræ Congregationi, et nobis nedum generaliter quæ fides Testibus examinatis sit adhibenda, verum etiam particulariter super iis, quæ per eosdem Testes deposita fuere, et an in deponendo iidem Judices aliquid viderint, seu animadverterint, per quod dictorum Testium, seu alicujus eorum depositio suspecta reddatur. Decernimus tamen, et volumus, quod in omnibus actis coram Judicibus præsentium Literarum exequutoribus, et alias circa præmissa faciendis, citetur aliquis ex Sub-Promotoribus per dictum Reverendum Patrem Dominum Promotorem Fidei nominandis in Plico suarum literarum una cum præsentibus transmittendo: pariterque decernimus irritum, et inane quidquid contra formam præsentium nostrarum Literarum scienter, vel ignoranter fuerit exequutum, ac Sanctissimo Domino Nostro Papæ Gregorio XVI, seu dictæ Sacræ Congregationi reservamus absolutionem omnium, et singulorum, qui dictas pœnas, et censuras incurrerint. Pro præmissis autem omnibus, et singulis exequendis talem diligentiam, curam, et fidem Vos Judices, modo quo supra, Delegatos adhibituros speramus, quales gratiam, et benevolentiam ab eadem Sacra Congregatione, et retributionem laboris ab Altissimo valeatis vobismetipsis comparare. In quorum testimonium præsentes manibus nostra, et infrascriptorum Reverendorum Patrum Dominorum Protonotarii, et Secretarii dictæ Sacræ Congregationis firmatas, sigilloque nostro munitas per acta infrascripti Notarii, Cancellarii, et Archivistæ dictæ Sacrae Congregationis jussimus expediri. Romae ex Ædibus Nostris anno a salutifera Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo octingentesimo trigesimo primo Indictione Romana quinta, die vero nona Aprilis Pontificatus an-

autem SSmi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini Gregorii Divina Providentia Papae XVI Anno Primo.

Carolus Maria Episcopus Prænestinus Cardinalis Pedicinius Præfectus.
Joseph Ugolini Sacræ Rituum Congregationis Protonotarius Apostolicus.
Joseph Gaspar Fatati Sacræ Rituum Congregationis Secretarius.
Philippus M. Amicius S. R. Congreg. Cancellarius et Archivista.

Loco ✠ Sigilli

Num. 2.
Mandatum Procurae in personam R. P. Alphonsi Mariæ Vinzi Sacerdotis Societatis Jesu.
Proc. fol. 12.

Joannes Roothaan Præpositus Generalis Societatis Jesu Caussæ B. Francisci de Hieronymo Postulator.

Omnibus et singulis, in quorum manus hae nostrae pervenerint Literae, Salutem in Domino sempiternam.

Cum anno proximo superiore Omnipotens Deus ad intercessionem Beati Francisci de Hieronymo e nostra Societate Miracula patrare dignatus fuerit in Oppido vulgo *le Grottaglie* Diœcesis Tarentinae: cumque modo confici debeat Auctoritate Apostolica super Miraculis Processus in eadem Diœcesi, et illuc nos conferre nequeamus, vigore Officii nostri substituimus, eligimus, et loco nostri constituimus Reverendum Patrem Alphonsum Mariam Vinzi Sacerdotem nostrae Societatis eum omnimoda potestate comparendi coram quibusvis Judicibus tam Ordinariis, quam Delegatis pro constructione Processus antedicti, quodcumque juramentum licitum tamen, et honestum, praesertim de calumnia praestandi, et demum ea omnia, et singula circa praemissa faciendi, quae opportuna judicaverit, et quae ipsimet facere, et exequi possemus, si personaliter interessemus.

In quorum fidem has manu nostra subscriptas Literas, sigilloque nostro munitas dedimus.

Romae die trigesima mensis Martii Anno millesimo octingentesimo trigesimo primo.

Joannes Roothaan.

Loco ✠ Sigilli

Num. 3.

Num.	NOMEN COGNOMEN ÆTAS	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
1	Excmus D. Joseph Magiulli Doctor Phisicus ann. 45. *Proc. fol. 82. terg.*	Die 19 Maji 1831 *Pr. fol. 56.*	Die 20 Maij 1831 *Pr. fol. 78. terg.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol. 65.*	Die 25 Maij de mane 1831 *Pr. fol. 82. ter.*
2	D. Cajetanus Santoro Professionis Conciapelli ann. 85. *Proc. fol. 92.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. 68. terg.*	Die dicto de sero *Pr. fol. 90.*
3	Rmus D. Aloysius Micera Canonicus, et Quarta Dignitas Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Grottaglie ann. 59. *Proc. fol. 100.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. 65.*	Die 26 Maij de mane 1831 *Pr. fol. 98. ter.*
4	Adm. R. D. Franciscus Micera Sacerdos addictus Capitulo dictæ Collegiatæ, et Confessarius ann. 28. *Proc. fol. 109.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. f. 66. t.*	Die 26 dicti Mensis, et Anni de sero *Pr. fol. 107.*
5	D. Horatius Santoro artifex ann. 40. circ. *Proc. fol. 120. terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit. terg.*	Die 27 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol. 119.*

Digitized by Google

Num.	Nomen Cognomen Ætas	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
6	D. Paschalis Santoro artifex ann. 50. circ. *Proc. fol.* 130.	Die 19 Maij 1831 *Pr. fol.* 56.	Die 20 Maij 1831 *Pr. fol.* 78. *terg.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol.* 68. *terg.*	Die 27 Martij 1831 de sero *Pr. fol.* 128.
7	Adm. R. D. Emanuel Verga Sacerdos addictus servitio Capituli oppidi Grottaglie annor. 45. circ. *Proc. fol.* 136. *terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 67.	Die 28 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol.* 136. *ter.*
8	D. Sebastianus Mortolese artifex ann. 48. *Proc. fol.* 143. *terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol.* 67.	Die 3 Junij de mane 1831 *Pr. fol.* 141.
9	D. Raphael Zabatte artifex ann. 18. *Proc. fol.* 153.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 117.	Die 4 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol.* 153.
10	D. Vincentia Santoro Vidua ann. 52. circ. *Proc. fol.* 163.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 71.	Die 6 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol.* 161.
11	D. Theresia Gallo Textrix Vidua ann. 56. *Proc. fol.* 173. *terg.*	Die 26 Maij 1831 *Pr. fol.* 108.	Die 26 Maij 1831 *Pr. fol.* 128.	Die 27 Maij 1831 *Pr. fol.* 117. *terg.*	Die 7 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol.* 172.

Num.	NOMEN COGNOMEN ÆTAS	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
12	D. Nicolina Carrieri Testrix Vidua ann. 47. *Proc. fol.* 181. *terg.*	Die 26 Maij 1831 *Pr. fol.* 108.	Die 26 Maij 1831 *Pr. fol.* 128.	Die 27 Maij 1831 *Pr. fol.* 118.	Die 7 Junij de sero *Pr. fol.* 179. *ter.*
13	D. Raphaela Chisena Agricola Vidua ann. 37. *Proc. fol.* 188.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die 8 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol.* 186. *ter.*
14	D. Maria Josepha Greco Uxor Salvatoris Gasparro ann. 47. *Proc. fol.* 199.	Die 19 Maij 1831 *Pr. fol.* 56.	Die 20 Maij 1831 *Pr. fol.* 78. *terg.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol.* 70. *terg.*	Die dicto de sero *Pr. fol.* 197. *ter.*
15	D. Magdalena Maselsella Uxor Josephi Fornaro Agricolæ ann. 50. *Proc. fol.* 215.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 71.	Die 9 dicti Mensis, et Anni de sero *Pr. fol.* 213. *ter.*
16	D. Maria Amalia Caforlo Virgo ann. 36. *Proc. fol.* 228.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 74.	Die 10 dicti Mensis, et Anni de sero *Pr. fol.* 226. *ter*
17	D. Salvator Gasparro Sutor ann. 50. *Proc. fol.* 235. *terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol.* 69.	Die 20 Junii de mane 1831 *Pr. fol.* 234.

Num.	NOMEN COGNOMEN ÆTAS	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
18	D. Carmelus Urseolo Artifex ann. 25. *Proc. fol. 248. terg.*	Die 19 Maij 1831 *Pr. fol. 56.*	Die 20 Maij 1831 *Pr. fol. 78. terg.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol. 68.*	Die 21 Junij de mane 1831 *Pr. fol. 246. ter.*
19	Excmus D. Paschalis Magiulli Doctor Physicus ann. 53. *Proc. fol. 256. terg.*	Die 26 Maij 1831 *Pr. fol. 108.*	Die 26 Maij 1831 *Pr. fol. 128.*	Die 27 Maij 1831 *Pr. fol. 117.*	Die dicto de sero *Pr. fol. 255.*
20	Excmus D. Nicolaus Manigrasso Medicus Chirurgus ann. 57. *Proc. fol. 263. terg.*	Die 19 Maij 1831 *Pr. fol. 56.*	Die 20 Maij 1831 *Pr. fol. 78. terg.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol. 69. terg.*	Die 25 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol. 262.*
Contestis. 1.	Rmus D. Aloysius Micera Prior Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Grottaglie. *Proc. fol. 280.*	Die 25 Junij 1831 *Pr. fol. 269. terg.*	Die 25 Junij 1831 *Pr. fol. 278.*	Juratus ut supra Testis III.	Die 27 dicti Mensis, et Anni de sero *Pr. fol. 280.*
Contestis 2.	Rmus D. Magnus Canonicus Alfano ann. 60. *Proc. fol. 281. terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die 27 Junij 1831 *Pr. fol. 271.*	Die dicto *Pr. fol. 281. ter.*

Num.	NOMEN COGNOMEN ÆTAS	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
Contestis 3.	Excmus D. Venantius Micera Doctor Phisicus ann. 78. *Proc. fol.* 283.	Die 25 Junij 1831 *Pr. fol.* 269. *terg.*	Die 25 Junij 1831 *Pr. fol.* 278.	Die 27 Junij 1831 *Pr. fol* 271.	Die 27 Junij 1831 *Pr. fol.* 283.
Contestis 4.	D. Lucas Marano Pharmacista ann. 38. *Proc. fol.* 284. *terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit. terg.*	Die dicto *Pr. fol.* 284. *ter.*
Contestis 5.	D. Clara Greco annor. 40. *Proc. fol.* 286.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 272.	Die dicto *Pr. fol.* 286.
Contestis 6.	D. Marianna Gasparro Virgo ann. 22. *Proc. fol.* 287. *terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 287. *ter.*
21	D. Vincentius Gasparro artifex ann. 25. *Proc. fol.* 297.	Die 9 Maij 1831 *Pr. fol.* 56.	Die 20 Maij 1831 *Pr. fol.* 78. *terg.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol.* 70.	Die 30 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol.* 293. *ter.*
22	D. Theresia Anti uxor Francisci Marano ann. 24. *Proc. fol.* 304.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 74. *terg.*	Die dicto de sero *Pr. fol.* 303. *ter.*

Num.	NOMEM COGNOMEN ÆTAS	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
23	D. Franciscus Morani Agricola ann. 30. *Proc. fol.* 311.	Die 19 Maij 1831 *Pr. fol.* 59.	Die 19 Maij 1831 *Pr. fol.* 79.	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol.* 76.	Die primo Julij 1831 *Pr. fol.* 309. *ter.*
24	D. Antonia Farina Virgo ann. 18. *Proc. fol.* 318. *terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 75.	Die dicto de sero *Pr. fol.* 317.
25	D. Cosima Crottale uxor Caroli Farina annor. 52. *Proc. fol.* 327. *terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die 2 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol.* 326.
26	D. Vincentius Farina artifex ann. 30. *Proc. fol.* 336.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol.* 69. *terg.*	Die dicto de sero *Pr. fol.* 334. *ter.*
27	D. Cira Vincentia Radicchio Virgo annor. 23. *Proc. fol.* 343. *terg.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die 27 Maij 1831 *Pr. fol.* 119.	Die 4 dicti Mensis, et Anni de mane *Pr. fol.* 342.
28	D. Maria Apnicchiarico Vidua Paschalis Anti ann. 54. *Proc. fol.* 352.	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die dicto *Pr. fol. cit.*	Die 21 Maij 1831 *Pr. fol.* 73.	Die dicto de sero *Pr. fol.* 350. *ter.*

Num.	Nomen Cognomen Ætas	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
29	D. Maria Mutata Romana uxor Vincentii Farina ann. 29.	Die 19 Maij 1831	Die 19 Maij 1831	Die 21 Maij 1831	Die 5 Julij 1831 de mane
	Proc. fol. 359. *terg.*	*Pr. fol.* 59	*Pr. fol* 79.	*Pr. fol* 75 *terg.*	*Pr. fol.* 358. *in fin.*
30	D. Michael Musella ann. 36.	Die dicto	Die dicto	Die dicto	Die dicto de sero
	Proc. fol. 370.	*Pr. fol. cit.*	*Pr. fol. cit.*	*Pr. fol.* 68.	*Pr. fol.* 366. *ter.*
31 *ex Off.*	Adm. R. D. Vincentius Piergianni Sacerdos Participans Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Grottaglie Pro-Parochus Confessarius annor. 27.	Die 5 Julij 1831	Die 5 Julij 1831	Die 6 Julij 1831	Die 6 dicti Mensis, et Anni de sero
	Proc. fol. 380.	*Pr. fol.* 365. *terg.*	*Pr. fol.* 378.	*Pr. fol.* 376.	*Pr. fol.* 378. *ter.*
32 *ex Off.*	Adm. R. D. Vincentius Annicchiarico Sacerdos Participans dictæ Ecclesiæ Collegiatæ Pro-Parochus annor. 48.	Die dicto	Die dicto	Die dicto	Die 7 dicti Mensis, et Anni de mane
	Proc. fol. 388. *terg.*	*Pr. fol. cit.*	*Pr. fol. cit.*	*Pr. fol. cit. terg.*	*Pr. fol.* 387.

Emi-

Eminentissimi, et Reverendissimi Domini

Num. 4.

Litteræ Rmorum DD. Judicum Delegatorum ad Sac. Rit. Congregationem.

Proc. fol. 3. ad fol. 6.

In Causa Canonizationis Beati Francisci de Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu placuit Eminentiis Vestris humanissimis earum Literis diei nonæ Aprilis vertentis anni Millesimi octingentesimi trigesimi primi destinare, et constituere Nos infrascriptos pro constructione Processus Auctoritate Apostolica in hac Tarentina Civitate, et Archidioecesi conficiendi super nonnullis miraculis ab Omnipotenti Deo patratis cum expressa clausula, ut vel Reverendissimus Archiepiscopus cum suo Vicario Generali, vel altera ex Dignitatibus; seu Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ, vel, eo impedito, Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, utroque vero impedito, quatuor Dignitates seu Canonici ab eodem Reverendissimo Archiepiscopo eligendi nominandi, ac destinandi, simul et conjunctim ad constructionem antedicti Processus semper respective procederent, et assistereut. Hujusmodi provinciam, quæ nobis ipsis ab Eminentiis Vestris demandata est, nedum lubenti, sed etiam obsequenti animo suscepimus, jurisdictionem inde communicatam instante Caussæ Postulatore speciatim constituto acceptantes, et jurejurando ad munus rite implendum, et ad silentii legem servandam obstricti, ut omnia juxta Sacræ Rituum Congregationis Constitutiones et Venerabilis Innocentii Papæ Undecimi decreta peragerentur, sedulo studio, et intento animo incubuimus. Hinc in primis cum interventu, et assistentia D. Dominici Gigli Substituti Secretariæ istius Vestræ Congregationis Rituum ad eumdem Processum Sub-Promotoris Deputati ab Reverendo Patre Domino Sanctæ Fidei Promotore de Urbe, scribente, et actitante primum Domino Francisco Sebastio Notario Actuario, deinde ob non firmam ejusdem valetudinem Domino Josepho Catapano Notario similiter Actuario ad id pariter electis, ac deputatis, cæterisque de stylo, jure, et consuetudine servandis minime prætermissis, examini subjicimus, Testes ex parte dicti Caussæ Postulatoris Substituti inductos, citatos, et juratos pariter examinavimus juxta Interrogatoria per dictum Dominum Sub Promotorem Deputatum exhibita clausa, et sigillis obsignata, ac deinde super Articulis ab eodem Postulatore productis, depositiones omni, qua par erat, diligentia, vigilantia, et dexteritate excepimus, et ut hujusmodi enunciarentur verbis, qua Testium scientiæ ex æquo congruerent, sedulam dedimus operam cujusvis rei notitiæ Causam diligenter exquisitam descriptis assertionibus attexentes. Hasce depositiones (quas partim Cryptaleis in hac Archidioecesi excepimus, ubi infirmi sanati sunt, quoniam

grave fuisset eorum catervam Tarentum adducere, partim in hac ipsa Civitate, quando aeris inclementia, et salutis incommoda inde nos exturbarunt, juxta reservatas Nobis facultates in ipso Processus exordio) ad Eminentias Vestras reverenter transmittentes, unanimiter testamur, Nos in Testibus examinandis, nullum prorsus, vel ex vultu, vel ex gestu, vel ex contradictionibus, vel ex aliis externis signis haurire, aut expiscari potuisse indicium, quo suspecta redderetur eorum fides. Immo eorumdem Testium, qui in hujusmodi negotio deposuerunt, vitæ bonitas, morum integritas, et conversationis honestas, digno apud nos commendantur testimonio, adeo ut eorum dictis, et attestationibus, tanquam veritati consonis, atque innixis, plene esse deferendum, tutò affirmemus, et protestemur, in quantum humana fragilitas nosse sinit. Ex Testibus denique juxta Notulas ab eodem Postulatore inductis, ii solummodo prætermissi sunt, et examini non subjecti, qui Tarentum petere nequiverunt, quorumque testimonium parum Processui profuisset. In universum enim sunt mulieres, quæ, juxta illius regionis indolem, vel nunquam, vel raro adduci possunt, ut proprios lares relinquant etiam ad tempus. Ulterius, ut omnia acta Processus rite, legitime, et quam citissime finirent impigrè curavimus: ad abundantiorem imo cautelam in principio cujuslibet Sessionis, et in fine Testes vocati sunt, qui actui primordiali, et subscriptionibus, ac clausuræ Interrogatoriorum, et depositionum assisterent, et subscriberent; qui tamen religiose, et ad scrupulum usque una cum Postulatore dimissi sunt quando erant dimittendi, ne Testium inductorum examina, et depositiones auscultare valerent. Denique ubi Processus majori in parte compilatus fuerat juxta tributas facultates per decretum hujus Sacræ Congregationis diei 29 Aprilis vertentis Anni in actis compulsatum, ad electionem Amanuensium devenimus, ut expeditiori absolutioni locus fieret, et ubi completus fuit, integrum reliquimus, ejusque Transumptum, instituta possibili diligenti collatione, coram Nobis authentice recognitum, authographo respondere cognovimus, et sigillis apte obsignavimus. Quocirca acta omnia absque ulla hæsitatione supremo Eminentiarum Vestrarum judicio adprobanda fore certo nobis pollicemur. Relevantiam vero, sive substantiam in præfatis depositionibus Testium inditam eximiæ istius Sacrorum Rituum Congregationis judicio obsequentissime submittimus. Interim Eminentiarum Vestrarum Revmarum manus devotissime, ac demississime osculamur.

Datum Tarenti Idibus Julii Millesimi octingentesimi trigesimi primi.

Pa-

Paratissimi ad obsequia.

Joseph Antonius de Fulgure Archiepiscopus Tarentinus Judex Delegatus.

Franciscus de Giorgio Canonicus Cantor Judex Delegatus pro me, et pro Reverendissimo Canonico Domino Joanne Cervo Priore Pro-Vicario Generali absente.

Canonicus Aloysius Peluso Judex Delegatus.

Angelus Canonicus Poenitentiarius Prieci Judex Delegatus.

Michael Canonicus de Sinno Judex Delegatus.

Joseph Antonius de Fulgure Archiepiscopus Tarentinus.

Loco ✠ Sigilli.

Illme, et Rme Domine

Num. 5.
Litteræ R. D. Sub Promotoris ad R. P. D. Fidei Promotorem.

Proc. fol. 6. ter. et seq.

Promotoris Deputati, ac Sub-Promotoris Fidei munere pro Apostolico Processu construendo super miraculis a Deo Optimo Maximo patratis ad intercessionem Beati Francisci De Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu, et juribus ac Instrumentis omnibus compulsandis ad Causam pertinentibus per Literas Remissoriales, specialemque Commissionem Circumspectionis Tuæ Illmæ et Revmæ mihi imposito maximi momenti demandatum negocium probe perpendens, ut omnia juxta Sacrorum Rituum Congregationis Constitutiones, et Venerabilis Innocentii Papæ XI. decreta fierent, ea, qua par erat, solertia, sedulo incubui, nunquam proinde hujus Processus confectioni in quavis Sessione, Deo adjuvante defui. Omnes, qui in hoc Processu adstruendo interfuere, jurejurando juxta præscriptam formulam in actis regestratam de secreto religiose servando, et de veritate asserenda, et munere rite obeundo singillatim obstricti sunt. Interrogatoria semper sigillis religiosissime clausa una simul cum depositionibus, exceptis iis solummodo, quæ identidem Amanuensibus juxta tributas Reverendissimis Judicibus Delegatis facultates per Decretum diei 29 Aprilis hujus anni in actis relatum ad exemplandum sunt tradita, retenta sunt, et in examine Testium dumtaxat reserata fuere, juxta quod ipsis in actis respective adnotatur. Ut factorum insuper enarratio a Testium scientia minime ablueret, et cujusvis notitiæ Caussam in quovis depositionis articulo diligenter adnotaretur intento pro viribus animo operam dedi. Præterea Testium a Postulatore substituto inductorum examine confecto, alios ex officio advocandos curavi, qui juxta Interrogatoria, Articulosque a Judicibus Delegatis examinati fuere. Postquam vero acta omnia per Notarios naviter conscripta, et documenta omnia, quæ ad Caussam spectant, compulsata fuere, Processus absolute confectus, conscriptus, et per Amanuenses exemplatus fuit, Transumptum ipsum, fideli et scrupolosa instituta collatione, meis au-

auribus exceptum, oculisque qualibet ex parte adnotatum autographo perfecte respondere pernovi, illumque sigillis obsiguari perspexi. Denique si de Testium auctoritate me interloqui sinas, id Illustrissime, et Reverendissime Domine Circumspectioni tuæ testari fas est, eos omnes vitæ bonitate, morum integritate, conversationis honestate, prudentique judicio adeo pollere, ut quamcumque mendacii, vel erroris suspicionem amoveant, in qnantum humana fragilitas nosse sinit. Id etiam de testibus assereudum ex officio appellatis, quos ob characterem, quo insigniti sunt, et munera, qnæ a tanto Archiepiscopo illis collata snnt, nec non ob animi probitatem, judiciique sagacitatem nedum fide dignos, sed etiam omni exceptione majores habendos existimo. Quod ex eo quoque universim compertum habui, quod eornmdem animos adverti admodum paratos ad cavendum, ne quid hyperbolice dicant, aut majori, qua par est, certitudine affirment. Quo vero ad Testes pro subscriptione vocatos, illud advertere non inutile erit, eos ad abundantiorem cautelam in principio cujuslibet Sessionis adhibitos et in fine accersitos fuisse, ut actni primordiali, seu Sessionis exordio, et subscriptionibus, ac clausuræ Interrogatoriorum, ac depositionum assisterent, ipsique subscriberent, religiose tamen, et ad scrupulum una cum Postulatore dimissi sunt quando erant dimittendi, ne Inductorum Testium examina, et depositiones ipsas auscultare vel minimum valerent. Nedum itaque externa Processus forma, quem rite completum fuisse liqnet, sed et interna ejus constructio ex Testium auctoritate maxime examinanda ejusmodi sunt ponderis, ut meum judicium ratum, validumque Processum Illustrissimæ et Reverendissimæ Circumspectionis Tuæ sententia declarandum fore opinor. Verum omnia tuo sapientiori judicio debito animi obsequio submittens ex voluntate Te uti me erga Te obsequentissime exopto.

Circumspectionis Tuæ Illmæ et Rmæ.

Tarenti Idibus Julii Millesimi Octingentesimi trigesimi primi.

Paratissimus ad obsequia.

Dominicus Gigli Sub-Promotor Fidei Secretariæ Congregationis Sacrorum Rituum Substitutus.

NEA-

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS

BEATI FRANCISCI DE HIERONYMO

Sacerdotis Professi Societatis Jesu

Num. 6.
Facultates discutiendi præsens Dubium sine interventu Consultorum.

Quum in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria propediem proponendum, discutiendumque sit Dubium Validitatis Apostolici Processus in Civitate et Archidioecesi Tarentina costructi super novis Miraculis a Deo Optimo Maximo patratis intercessore adhibito Beato Francisco de Hieronymo Societatis Jesu Sacerdote Professo, SSmo Domino Nostro Gregorio XVI. Pont. Max. humillime supplicavit R. P. Joannes Roothaan recensitae Societatis Præpositus Generalis, caussæque prædictæ Postulator, quatenus judicium super eodem Dubio confici valeat sine interventu, et Voto Consultorum. Sanctitas Sua, referente me infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne annuit pro gratia petitæ dispensationis. Contrariis non obstantibus. Die 12. Augusti 1831.

C. M. Episcopus Prænest. Card. Pedicinius Præf.

L. ✠ Sigilli.

I. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

REVISA

And. M. Frattini S. R. C. Ass. et Fidei Sub-Promotor.

a. m. Frattini ut supra

Jos. Gasp. Fatati S. R. C. Secretar.

Digitized by Google

Digitized by Google

NEAPOLITANA
CANONIZATIONIS
BEATI FRANCISCI
DE HIERONYMO
SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

ANIMADVERSIONES
R. P. D. PROMOTORIS FIDEI
SUPER DUBIO

An constet de validitate Processus Auctoritate Apostolica in Tarentina Archidioecesi constructi super Miraculis, quæ supervenerunt post indultam eidem Beato Venerationem; Testes sint rite, ac recte examinati, et jura producta legitime compulsata in casu, et ad effectum de quo agitur?

Eme, et Rme Domine

1 Postquam a Pio VII. Sa: Me: indulta fuit Veneratio B. Francisco de Hieronymo Sacerdoti Professo inclytæ Societatis Jesu, ita aucta ejus devotio, et Miraculorum fama pervulgata fuit, ut idem Pontifex Maximus die 28. Aprilis 1809. de consilio hujus S. Congregationis sua propria manu Commissionem Resumptionis Causæ signaverit ad effectum procedendi ad ulteriora in illius Canonizatione. Nec frustra. Duasnamque mirabiles Sanationes a Deo Optimo Maximo, deprecatore Beato Francisco obtentas fuisse affirmant in Tarentina Archidioecesi et præcise in Oppido, quod vocant *Le Grottaglie*, ubi Beatus de Hieronymo ortum duxit. Ad illarum veritatem explorandam, et comprobandam, Rmus P. Præpositus Generalis laudatæ Socie-

tatis a SSmo D. N. Papa Gregorio XVI. humiliter petiit, ut expedirentur consuetæ Litteræ Remissoriales, quæ expeditæ fuere die 9. Aprilis currentis anni 1831. ad Archiepiscopum Tarentinum, ejusque Vicarium Generalem, et quatuor Ecclesiæ Cathedralis Dignitates, seu Canonicos ab ipso nominandos, prout videre est in *Sum. num.* 1. *pag.* 1. Judices Processui initium dederunt die 17. Maji, illumque compleverunt die 15. superioris Julii. De ipsius Processus validitate juxta solitam, et superius descriptam Dubii formulam quærendum est in hoc ordinario Conventu; quin obsit Consultorum defectus quippe cujus veniam fecit Rescriptum, quod legitur in *Summar. num.* 6. *pag.* 23.

2 Delegati Judices in solita Epistola quam habet *Summar. num.* 4. *pag.* 19. Processum, quem remittunt, omni diligentia, et sedulitate instruxisse profitentur, affirmant tamen nonnullos Testes a Postulatore inductos examini non fuisse subjectos, quia = *Tarentum petere nequiverunt, quorum testimonium parum Processui profuisset; in universum enim sunt Mulieres, quæ juxta illius Regionis indolem vel nunquam, vel raro adduci possunt, ut proprios Lares relinquant etiam ad tempus*: *Sum. loc. cit. pag.* 20. Fidei Sub-Promotor qui Processui semper interfuit in ejus Epistola fatetur hisce verbis = *Nedum externa Processus forma, quem rite completum fuisse liquet, sed et interna ejus Constructio ex testium Auctoritate maxime examinanda ejusmodi sunt ponderis, ut meum judicium ratum, validumque Processum . . . . declarandum fore opinor. Sum. num.* 5. *pag.* 22. Meæ tamen sunt partes animadvertere, si quid contra Litteras Remissoriales, Summorum Pontificum Decreta, stylum, et consuetudinem pecatum fuerit, quod hic brevissime exponam.

3 Quamvis omni laude digni sint et Judices, et Fidei Sub-Promotor, quia omne studium, omnemque curam adhibuerunt in hujus Processus Constructione, nonnulla tamen sunt animadvertenda: Et primo quidem contra stylum, et praxim ubique receptam testibus idiotis nec linguam latinam callentibus delatum fuit juramentum latinis conceptum verbis. Cum in Decretis Generalibus habeatur: Testium depositiones excipi, ac scribi eodem sermone, ac idiomate, quibus proferuntur ab ipsis testibus, clare deduci patest, quod etiam juramentum proferendum sit eodem vernaculo idiomate; alias testes cognoscere nequeunt, quæ Deo promittunt. Asserere non audeam, quod hoc invalidum omnino reddat Processum, sed dubitare mihi licet cum ob ignorantiam Latini sermonis, dici possit testes nullum emisisse juramentum quia ejus vim, et importantiam non cognoverunt.

4 Præterea in Sessione secunda Judices cum jure meritoque deputaverint Franciscum Sebastio in Notarium actuarium, qui tantum Notarius Ecclesiasticus erat = *quoniam Notarii Apostolici penitus desiderantur* additur, *uti ex attestatione Judicum in-*

inferius inserenda; et dicitur Notariatus Privilegium productum fuisse *tenoris inferius registrandi Proc. fol.* 25. in fine vero illius Sessionis nec Judicum fides, nec Notariatus Privilegium legitur, quæ tamen reperiuntur in fine Sessionis tertiæ *Proc. fol.* 50. Videant Emi Patres, an omissio hujus exhibitionis in secunda Sessione invalidum reddat actum.

5 Animadvertere deinde opus est Testes fere omnes a Postulatore inductos citatos fuisse die vigesima Mensis Maji ad comparendum *in die Sabathi, quæ erit vigesima prima currentis Mensis hora* 13. *seseque juramento et examini subjiciendum*. Attamen Raphael Zabatti, et Cyra Vincentia Radicchio minime se contulerunt in die assignata, sed coram Judicibus sisterunt die vigesima septima Maji, et juramentum emiserunt *Proc. fol.* 117 *et* 119. Videntur hi testes absque citatione, et fere spontanei se se ad jurandum contulisse adversus legem Litterarum Remissorialium; idem namque est non esse citatum, et coram Judice sistere extra terminum Citationis; horum igitur depositiones veluti ultroneas, et non judiciales expungendas esse e Processu censerem; Namque testes ultronei inepti sunt ad probandum *Benedictus XIV. in dict. lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 4.

6 In citatis Litteris Remissorialibus præscribitur, quod *testes nequaquam se referant ad attestationes alias redditas, neque illis recitentur ea, quæ alias ipsi deposuerunt, sed quæcumque habent explanate, et per extensum deponant.* = *Sum. num.* 1. *pag.* 9. §. 20. At testis I. respondendo ad decimum Interrogatorium ait *Proc. fol.* 84. *Mi riporto in tutto e per tutto al mio Certificato rilasciato sotto il giorno* 12. *Ottobre* 1830., *che desidero, che sia inserito parola per parola* = prout factum fuit. Quæ in Litteris Remissorialibus præcipiuntur, sub pœna nullitatis sunt observanda, et de hisce attestationibus constans praxis est, quod, si inveniantur in Processibus, in pretio omnino non habeuntur, et si de Processus validitate aliunde constet, respondi debeat affirmative: *demptis attestationibus extrajudicialibus.* Vide Benedictum XIV. *loc. cit.* §. 21. ubi plura afferuntur exempla Processuum, in quibus demptæ fuere attestationes extrajudiciales.

7 In Sessione duodecima de more habita in loco Sacro, et coram Judicibus habetur, quod *Rev. D. Joseph Catapano in novum Notarium actuarium electus vice, et loco Rev. D. Francisci Sebastio, qui ob non firmam valetudinem collato muneri sponte cessit ut ex authentico testimonio Doctoris physici inferius registrando sui Notariatus privilegium producens tenoris inferius registrandi in genua provolutus, et manibus impositis super sacrosanctis Dei Evangeliis, juravit dicens etc. Proc. fol.* 141. *terg.* Plura ex his scatent, quæ Processum nullitatis vitio laborare facere videntur. Non ego sum qui auctoritatem, et facultatem Judicibus Delegatis auferam alterum Notarium substituendi, si infirma valetudine affectus sit Notarius Actuarius, sed jure, et merito contendo, hanc substitutionem apparere debere in actis alicujus Decreti ope. In casu autem, de quo agi-

mus nullum extat Decretum, cum præter verba, quæ superius retuli, nihil in toto Processu inveniatur, ex quo cognosci valeat Judices demandata sibi facultate usos fuisse. Præterea constans horum Processuum praxis est Notarium nullum actum ad se pertinentem rogare posse; præscribitur namque, ut ad illud Instrumentum conficiendum alter Ecclesiastica dignitate constitutus vocetur Notarius, qui dicitur adjunctus, quemadmodom Judices Nostri prudentissime egerunt in prima Processus Sessione, in hac vero duodecima nullus habetur alius Notarius adjunctus, et idem Catapano de sui asserta electione, deque juramento a semetipso præstito Instrumentum confecit. In hoc vere casu accidit incommodi, quod si ad tramites Litterarum Remissorialium hæc electio declaretur nulla, et invalida, nullius roboris et validitatis omnino declarandæ sunt Sessiones omnes subsequentes in quibus Catapano interfuit veluti Notarius.

8. Nec satis. Postquam completus, et publicatus fuit Processus Judices, ut collationem Transumpti cum originali peragerent deputaverunt in Notarium adjunctum Rev. Dominum Franciscum Sebastio. *Qui fuit primus Notarius actuarius, quique jam juravit in actis, ut supra registratum est. Proc. fol.* 402. Litteræ vero Remissoriales habent, quod completo Processu, Judices *adhibito alio Notario Apostolico, sive Ecclesiastico, qui pariter Notarius juramentum præstet de fideliter officium suum exercendo, ut de alio Notario ad caussam deputando dictum est, transcriptionem, seu transumptum hujusmodi cum suis originalibus collationari faciant*. Ex quo videtur Judices peccasse contra legem hanc; hic enim Sebastio fuerat Notarius actuarius in primis Sessionibus. Nunquam vero omittendum erat juramentum de bene, et fideliter exercendo munere, quoniam primum, quod emiserat juramentum onus illi concreditum respiciebat de bene se gerendo tantum in actis conficiendis, a quo solutum fuit statim ac munus dimisit. Cum novum omnino ab illo diversum erat officium collationandi originalem Processum cum Transumpto, necessario videtur novum præstari juramentum, ut litteræ exequerentur, quæ sub pœna nullitatis omnia præcipiunt.

9. Miror in Sessione vigesima *Proc. fol.* 195. electum fuisse in Scriptorem Priorem Aloysium Micera, qui jam fuerat veluti testis examinatus, et, quod pluris est, iterum ad examen erat vocandus, ut deponeret de secunda sanatione. Cognovit igitur hic ante suam novam depositionem quidquid alii deposuerant testes contra formam judiciorum, et Litterarum Remissorialium. Plures tandem Amanuenses electi fuere nempe RR. DD. Aloysius Micera, Canonicus Prior, et Cyrus Paschalis Orlandi Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Cryptalearum *Proc. fol.* 196. Dominus Nicolaus de Gennaro *Process. fol.* 294., et Franciscus Catapano *fol.* 367. Attamen post publicationem Processus tantummodo duo Amanuenses nempe Nicolaus de Gennaro, et Franciscus Catapano

pano transumptum exhibuerunt, quin appareat quando primi illi Amanuenses Micera, et Orlandi Transumptum, seu Processus partem ab illis exemplatam exhibuerint, et originalem Processum reportaverint. Hoc quoque contra formam in Litteris Remissorialibus præscriptam actum videtur. Hæc mihi erant animadvertenda in casu etc.

Quæ etc.

V. Pescetelli S. Fidei Promotor.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS

BEATI FRANCISCI DE HIERONYMO

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

RESPONSIO

A D

ANIMADVERSIONES

R. P. D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An constet de validitate Processus auctoritate Apostolica Tarenti constructi super Miraculis, quæ supervenerunt post indultam eidem Beato venerationem; Testes sint rite, ac recte examinati, et jura producta legitime compulsata, in casu, et ad effectum, de quo agitur?

Eme, et Rme Domine

1 Praestantissimi Fidei Promotoris Animadversiones legenti duo occurrant oportet Caussae nostrae maxime accomodata, quod nimirum ipse R. P. D. Fidei Promotor fateatur (a) = *Judices et Fidei Sub-Promotorem laude dignos esse, quia omne studium, omnemque curam adhibuerint in Processus constructione* = ; quodque nihil objiciat, unde totius Processus validitas sit infirmanda, quamvis aliquis Processus actus, uti eidem videtur, minus rite neque secundum nostram disciplinam confe-

A ctus

(a) *Animadv.* §. 3.

ctus censeri possit. Exinde fit, ut alacri animo nubeculas in Animadversionibus excitatas diluendas suscipiamus.

2 Et primo quidem R. P. D. Fidei Promotor (a) contra stylum et praxim ubique receptam factum contendit, quod Testibus idiotis lingua latina delatum sit juramentum; arguit ex decretis generalibus, quæ depositiones Testium eo idiomate, quo proferuntur, recipi jubet, clare deduci etiam juramenta vernaculo idiomate esse recipienda; tuetur Testes, quod Deo promiserunt, non cognovisse, nullumque juramentum propterea emisisse. Tria hæc, ne omnino negemus, explicare licebit.

3 Nam ad primum illud quod spectat, etsi recentioribus temporibus nonnulli Judices in juramento Testibus deferendo formulam juramenti vernaculo idiomate exaratam exhibeant, non tamen dici potest, id stylo usuque esse ubique receptum. Ut recta probatione id demonstrarem, necesse esset, innumeros, qui post Urbanum VIII. Beatificationum et Canonizationum confecti sunt processus, in medium afferre, atque ex eisdem docere, quam paucae sint inquisitiones, ubi juramenti formula vernaculo idiomate sit adhibita, contra vero quam multæ, ubi juramentum ea lingua, quæ in Literis Remissorialibus legebatur, fuerit collatum. Quoniam vero id longum nimis esset, unum Sacrae hujus Congregationis judicium appellabo.

4 In Comitiis die 20 Aprilis Anno 1822 habitis duae simul agebantur Causae, videlicet *Tifernensis* super validitate Processus super Miraculis editis intercessione B. Veronicae de Julianis confecti, et altera *Romana seu Aquen.* de validitate Processus Fundis constructi super miraculis Ven: P. Paulo a Cruce deprecatore patratis. In Causa *Tifernensi* Judices Delegati vernaculo idiomate juramentum Testibus detulerant: in Causa *Romana seu Aquen.* latino. Postremum hoc superiori R. P. D. Fidei Promotori Alexandro Buttaoni displicebat, unde in suis Animadversionibus §. 7. contendebat, novum edendum esse decretum, quo in Literis Remissorialibus deinceps expediendis Judicibus mandaretur onus exhibendi Testibus latini sermonis ignaris formam juramenti in vernaculum idioma translatam, ut omnis abiret in Judicibus agendi varietas, ac certa haberetur, ac dispositiva probatio juramenti ab idiotis, ac faeminis praestandi. Cum Causam illam *Romanam seu Aquen.* ipse dicerem, non quid faciendum erat, sed quod a Judicibus factum fuerat, defendi eo successu, ut decretum ab ipso Fidei Promotore expetitum, ac tantopere sollicitatum Sacra Congregatio, quae tamen Processus Fundani validitatem probavit, in vulgus numquam ediderit. Ex quo nimirum colligi debet, stylum illum, ac praxim ubique receptam immerito praedicari, immo vero contra praxim ac disciplinam Sacrae Nostrae Congregationis agi, si vulgari idiomate juramenta Testibus deferantur.

5 Ne-

(a) *Animad.* §. 3.

5 Neque enim ex eo quod decreta nostra generalia Testium depositiones, quo proferuntur idiomate recipiendas praecipit, jure argui potest, etiam juramenta vernaculo idiomate esse proferenda. Quasi unum, idemque sit juramenti prolatio, ac factorum depositio; aut non possint vernaculo idiomate facta pronunciari, postquam latino fuerint juramenta emissa: aut de uno dispositum, necessario dispositum de altero, quod nullam habeat relationem, sit intelligendum: aut unum, idemque tam de juramentis, quam de depositionibus praecipere non potuerint decreta nostra generalia, si voluissent.

6 Neque pariter dici potest ex latina juramenti formula idiotis Testes non novisse, quod Deo promiserunt. Etenim ipsum juramenti nomen habet tam arctam cum obligatione, quam importat, affinitatem, ut nequeat idea juramenti concipi, quin et obligationis quae idea simul concipiatur. Norunt siquidem omnes sive indocti, sive sapientes, per juramentum in alicujus dicti, vel facti veritatem testem Deum, ac sponsorem nominari. Ergo qua ratione fieri potest, ut qui juramenti formulam recitat, id, quod Deo promittit, ignoret? Accedit, quod in nostris judiciis Testes, antequam ad examina admittantur, ab ipsis Judicibus de vi, et importantia juramenti moneantur. Hoc porro factum in processu nostro cognoscimus, in quo sic notatum legimus de Teste II idiota (a). *Conosco la forza del giuramento, il peccato, che si fa spergiurando, la pena, che s'incorre della scommunica subito, e procurerò di dire la verità, senza mutar cosa alcuna* = Et de Teste XIV foemina idiota (b). *Sono stata ammonita della santità del giuramento, del peccato dello spergiuro, dell' obligazione di dire la verità, e di osservare il segreto, e della pena della scommunica, che incorrerò subito, se mancherò in queste obligazioni* = Et de Teste XVI foemina idiota (c). *Sono stata ammonita della santità del giuramento, del grave peccato dello spergiuro, dell' obligazione di dire la verità, e di mantenere il segreto, e della pena della scommunica, che s'incorre subito, se mancherò a questa obligazione* = Et ita de caeteris passim in Processus tabulis. Videat igitur praeclarissimus Censor, utrum idiotae Testes cognoverint id, quod Deo promiserunt; utrum Testes idiotae habendi sint, perinde ac si nullum praestiterint juramentum.

7 Postremo ab se non erit considerare, ab Animadversione (d) dici: *Testes nullum emisisse juramentum, neque tamen asserere audere, quod hoc invalidum omnino reddat Processum.* Cum juramentum Testis partem constituat in nostris judiciis necessariam, si R. P. D. Fidei Promotor validum non diffite-

 tur

(a) *Proc. fol.* 92.
(b) *Proc. fol.* 199.
(c) *Proc. fol.* 228.
(d) *Cit.* §. 3. *in fin.*

tur Processum, validum quoque, legitimumque opus est agnoscat juramentum latino idiomate a Testibus etiam idiotis prolatum.

8 A Testibus ad Notarium ab Animadversione provocamur (a), quæ dolet, quod attestatio Judicum de deficientia Notarii Apostolici, et privilegium Notariatus Notarii Actuarii in secunda sessione exhibitum, in tertia fuerunt registrata. Sed si hæc jura in actis compulsata leguntur, ergo in actis minime desiderantur, quod unum satis est ad actorum validitatem. Quid vero interest, utrum in secunda, vel in tertia Sessione legantur? Deinde, quod ad præfatam Judicum attestationem spectat, hæc minime necessaria fuit, cum Literae Remissoriales (b) integrum Judicibus fecerint Notarium vel *Apostolica*, vel *Ecclesiastica* auctoritate creatum in Actuarium eligere. Itaque poterat haec attestatio in actis omitti, multo magis in posteriori Sessione registrari. Ad privilegium quod pertinet, animadvertendum est, post secundam Sessionem in actis debuisse registrari tenorem tum Literarum Remissorialium, tum omnium articulorum ad probandum a Postulatore productorum, tum Literarum R. P. D. Fidei Promotoris, tum citationis contra Sub-Promotorem cum Cursoris relatione. Itaque facile cognoscimus ex tot documentis alterum potuisse ex oculis Notarii nostros Processus primum conficientis elabi, qui quidem Notarius cum in tertia Sessione registraverit, quæ in secunda omiserat, effecit, ut nihil in actis desideraretur. Deest igitur ratio, quare actus debeat infirmari, perinde ac si de loco ad locum translatio tali omissioni responderet, atque unicum actum, quemadmodum instrumenta, nostri processus complecterentur.

9 A Notario iterum ad Testes traducimur ab Animadversione (c), quæ arguit, Testem IX Raphaelem Zabatti, et Testem XXVII Cyram Vincentiam Radicchio, ambos die 19 Maii inductos, et die 20 ejusdem mensis citatos, existimandos esse velut ultroneos, propterea non die 21 Maii in citatione praefixa, sed die 27 ejusdem mensis praestiterunt juramentum. At primo cui eumdem exploratum non est, hoc fuisse in jure cautum, ut Testes vel ab Actore inducantur, vel a Judicibus vocentur, ne ultronei deposuisse dicantur? Cum igitur constet de inductione, quomodo ultroneitas non evanescet? Aut quomodo duo Testes eodem in judicio esse simul possunt et inducti, et ultronei? Verum deinde est, praefatos Testes IX et XXVII die 21 Maii paratos ad juramentum praestandum non fuisse, sed ex actis pariter constat, eisdem non ultroneo, sed Postulatoris ad instantiam die 21 ejusdem mensis collatum a Judicibus fuisse juramentum. Nam cum post primam Testium inductionem, alios deinde quinque Testes Causæ Postulator induxisset, et citasset die 26 Maii, postero die coram Judicibus *petiit*, insti-

(a) *Animad.* §. 3.
(b) *Summ. num.* 1. *pag.* 8. §. 18.
(c) §. 5.

stititque tam omnibus et singulis Testibus hesterna die citatis, quam RAPHAELI ZABATTI, ET CYRAE VINCENTIAE RADICCHIO SUB DIE 20 CURRENTIS MAII CITATIS ET HIC PRAESENTIBUS juramentum de veritate dicenda, et secreto servando deferri (*a*). Postremo cum juramentum a Testibus non sponte suscipiatur, sed a Judicibus deferatur, prout factum in nostro processu acta ipsa demonstrant (*b*); quæ ultroneitas ex juramenti praestatione eruenda sit, profecto non intelligo.

10 Prosequitur Animadversio (*c*), atque asserit, extrajudiciales attestationes nullo in pretio habendas, easque in probanda processuum validitate demendas. Mitto quaerere, num id omni ex parte verum sit, nec ne. Attamen scisoitor, ubinam in Processu nostro *attestationes extrajudiciales* inveniantur? *In depositione*, inquit, Testis I hoc est *in responsione ejusdem ad decimum Interrogatorium*. Recte sane. Hodie extrajudicialis attestatio, et responsio ad Judicum interrogatoria idem, unumque valent. At enim dixit Testis = *Mi riporto in tutto, e per tutto al mio certificato rilasciato il giorno 12 Ottobre 1830, e che desidero sia inserito parola per parola* = Quid ergo? Hanc suam attestationem, quam Testis jampridem elucubraverat, non compulsari voluit in actis, uti fit de extrajudicialibus attestationibus, sed cum ad decimum interrogatorium responderet, eadem attestatione sua memoriae juvandae causa est usus, ac Notario scribenti de verbo ad verbum dictavit, quemadmodum Notarius Actuarius in responsione Testis ad decimum interrogatorium ad Testis dictamen de verbo ad verbum exaravit. Ita hæc, quæ pridem fuerat attestatio, postquam ad Judicis interrogatorium fuit de verbo ad verbum dictata, judicialis responsio evasit; neqùe aliter est existimanda, multoque minus invalidanda, secus paucorum Testium depositiones ratae haberentur, cum constet inter omnes, in nostris Processibus scriptas schedulas memoriae juvandae gratia Testes secum ferre consuevisse.

11 Sed a Testibus ad Notarios iterum cum Animadversione revertamur. Nam cum Franciscus Sebastio Notarius Actuarius ob minus firmam valetudinem muneri suo cessisset, eique novus Actuarius Joseph Catapano successisset, occasio data est Animadversioni (*d*) arguendi 1.° hanc Notarii substitutionem nullo Judicis decreto factam, 2.° non potuisse hunc substitutum Notarium de sua electione et juramento conficere instrumentum: 3.° omnes Sessiones a duodecima ad ultimam, quibus Joseph Catapano interfuit, nullas declarandas.

 12 Uno

(*a*) *Proc. fol.* 116.
(*b*) *Proc. loc. cit.*
(*c*) §. 6.
(*d*) §. 7.

12 Uno verbo omnia diluam, si demonstravero, Notario testanti se in Actnarium esse deputatum, omnem plane cum in omnibus judiciis, tum præsertim in nostris Causis tribui solere fidem, et saepenumero esse tributam. Atque idipsum est, quod jura statuunt, et Doctores confirmant, ac prae caeteris Baldus *in L. fin. num.* 3. *ad med. Cod. de exhiben. Reis, et in L. cum Clericis* 25. *col.* 1. *num.* 3. *vers. Memor. C. de Episc. et Cler.* Jason. *in* §. *Quadruplici* 17. 18. *instit. de action.* Alexander *cons.* 123. *num.* 3. *lib.* 2. Vant. *de nullit. ex defectu mandati num.* 41. *in jin. fol.* 242. Menochius *de praesumptionibus lib.* 2. *praesum.* 79. *num.* 20. Fensonius *in statuta Urbis cap.* 71. *num.* 27. = ibi = *Hic quidem stylus* (credendi Notario testanti de exhibitione sibi facta) *in Urbe notorius est, et ideo servari debet, etiamsi leges aliter disponerent* = Gratianus *discept. forens. tom.* 5. *cap.* 341. *num.* 2. *et seq.* = ibi = *Creditur Notario, quando attestatur de commissione sibi per Judicem facta, de stylo* = et refert ibi casum, in quo validus habitus est Processus, *quamvis non constaret de deputatione Notarii, nisi per solam ipsius attestationem*. Atque idipsum est, quod frequenter admisit tum Sacra Rota, tum ipsa Sacrorum Rituum Congregatio, prout testatur Benedictus XIV *lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 8. *fin.* = ibi = *Tributa est fides Notario testanti propriam destinationem in his causis, uti apud Auditores Rotae in relatione Causae S. Hyacinthi* §. *In istius : utque de sensu tum Auditorum Rotae, tum Sacrae Congregationis testatur Contelorius de Canoniz. Sanctor. cap.* 25. *num.* 29. = Neque uspiam aliter decernunt Literae Remissoriales : neque unquam auditum est constantem nostrorum Processuum praxim esse, actum ad se pertinentem rogare Notarium non posse.

13 Vult tamen Animadversio Judicum decretum ? In objecta Sessione duodecima (*a*) postquam Judices Notario noviter electo juramentum detulerant, postquam illi eidem depositiones Testis VII dictaverant, tandem praefato Notario mandarunt, ut rogitum conficeret, depositiones et interrogatoria clauderet, et obsignaret, et Archiepiscopale Sigillum commiserunt. Quid amplius Animadversio desiderabit ?

14 Quod autem Animadversio haec adjungat (*b*) = *Praescribitur, ut ad illud instrumentum conficiendum, alter Ecclesiastica dignitate constitutus vocetur Notarius, qui dicitur Adjunctus, quemadmodum Judices nostri prudentissime egerunt in prima Processus Sessione* = nihil contra Processus validitatem concludit. Etenim sic se res habet : In prima Processus Sessione, in qua solemni actu Literae Remissoriales praesentantur, Episcopus pro tribunali sedet cum suo Vicario Generali, praesentibus suae Curiae Fiscali, et Cancellario. Qui quidem Cancellarius cum Episcopalis Curiae negotiis distentus, ac distractus

(*a*) *Proc. fol.* 141. *et seqq.*
(*b*) *Cit.* §. 7. *circa fin.*

ctus Processus constructioni assistere nequeat, alter Notarius in Actuarium eligitur a Judiec in Secunda Sessione. Itaque neque Cancellarius, neque Actuarius dici potest Adjunctus, cum fuerint ambo principales. Solum, processu absoluto, pro collatione originalis cum transumpto facienda, alter Notarius eligitur, et hic *Adjunctus* audit, ut cum Actuario ad collationem deveniat. Ut ergo ad propositum redeamus, quemadmodum Cancellario, qui se de primordialibus actis rogavit, Actuarius sufficitur, ita in locum Actuarii, quatenus impos ad processus constructionem evaserit, alius Actuarius eligitur, de cujus quidem electione, dummodo vel per Judicis decretum, vel per sui attestationem, aut per utrumque, uti accidit in casu nostro, in actis constet, valide se rogat, neque ullo proinde nullitatis vitio, ex tali nova electione processus laborat.

15 Et quoniam de Notario Adjuncto ad collationandum Processum fecimus mentionem, quoniamque hunc etiam carpit Animadversio (*a*), nostrum erit eumdem censura liberare. Porro in eo sita est censurae ratio, ut, quamvis Notarius Adjunctus idem ille fuerit, quem primum Actuarium Judices elegerant, cuiquo primitus de munere sibi concredito fideliter exercendo, et secreto servando juramentum detulerant, in collationando Processu iterum jurare ex Literarum Remissorialium praescripto debuerit; tum quia simul ac munus dimisit, juramento solutus censetur; tum quia actus collationis processus diversus erat ab actis, pro quibus fideliter exercendis antea juraverat. Atqui duo haec rationum momenta omnino negamus.

16 Nam primo Notarius Actuarius ubi munus dimisit, qua auctoritate est jurisjurandi vinculo solutus? Potuisset ergo, quas audierat, Testium depositiones sine perjurii labe, et excommunicationis poena in vulgus edere? Nam cum Actuarii juramentum duo respiceret, et munus fideliter obeundum, et secretum servandum, si juramenti vinculo solutus, munere dimisso, esset censendus, audita prodere eidem impune licuisset. Quis tantum queat absurdum devorare?

17 Secundo: si in collationando processu primus Actuarius novum, uti contendit Animadversio, novum ac diversum a primo suscepisset officium, sequeretur, collationem processus etiam Actuario noviter electo novum esse debuisse, diversumque officium. Ergo si primo Actuario novum necessarium erat juramentum, idem et alteri Actuario necessarium dicendum. Qui porro fit, ut juramentum in altero Actuario Animadversio desideret, in altero non requirat? Si autem juramentum Actuarii de fideliter exercendo munere sibi commisso in processus compilatione omnes omnino partes amplectitur, et ad clausuram processus extenditur, atque etiam ad instrumentum consignationis, quae fit Portiori; si hoc juramentum primus Actuarius non secus ac alter emisit, desinat Animadversio diutius conqueri, desinat ea,

(*a*) §. 8.

ea, quae in actis prostant perquirere, et non necessaria multiplicare, desinat asserere aliquid in Literarum Remissorialium formam esse uspiam peccatum. Caeterum cum collatio ob oculos Judicum, atque Sub-Promotoris Fidei ac simul cum alio Notario jurato fieret, quid erat juramentum de fideliter exercendo munere necessarium?

18 Supersunt tandem Amanuenses a censuris vindicandi. Adm. R. D. Aloysius Micera, qui fuit Testis III, et de Cajetani Santoro sanatione, hoc est de primo Miraculo deposuerat, in Oppido Cryptalearum, ubi Amanuenses forsitan non abundant, post examen Testis XIII, hoc est postquam super eodem primo miraculo omnium Testium examina fuerant suscepta, a Judicibus in Scriptorem eligitur. Postquam munus acceptaverat, ac juramentum emiserat a nonnullis Testibus de secunda sanatione deponentibus in contestem peculiaris facti vocatur, et a Judicibus iterum examini subjicitur post XX Testis examen. Nihil est hoc in facto, quod non summae prudentiae, integritati, et justitiae Judicum non sit tribuendum. Attamen R. P. D. Fidei Promotor dolet (*a*), eum in Scriptorem fuisse adhibitum, qui jam fuerat examinatus, qui iterum ad examen erat vocandus, et cui de secunda sanatione erat deponendum, hoc est de re, quam super alios deposuisse cognoverat.

19 Ex his ambagibus breviter me expediam. Obesse primum nequit, quod omnes credo fateantur, in Scriptorem adhibitum esse Testem jamdin examinatum. Deinde Judices nosse non poterant Adm. R. D. Aloysium Micera post Testis XIII vocandum esse iterum in contestem, propterea quod primum a Teste XIV fuit in contestem appellatus. Demum contestis iste non debuit in suo secundo examine ea cognoscere, quae fuerant ipsi de secunda sanatione deponenda, cum ex actis appareat, unam tantum actorum consignationem ad exemplandum fuisse eidem factam post XIII Testis examen, eamque consignationem actorum complecti tresdecim tantum testium examina, scilicet primi tantum Miraculi depositiones, in quibus ne verbum quidem de secunda sanatione, super qua secundo Testis III fuerat examinandus, a primis Testibus fuerat factum. Postremo dato etiam, quod deponenda sibi de secunda sanatione ex actis exemplandis sibique traditis cognoverit, attamen cum in secunda sanatione Aloysius Micera sit tantum *contestis*, proptereaque a Postulatore non inductus, poterat a Judicibus *ex officio* non vocari, sed postequam fuerat ex officio vocatus, potuit, ac legitime debuit ea, quae sibi quoquo modo innotuerant, deponere. Omnis autem evanescat oportet difficultas, si consideretur, Testem XIV Mariam Josepham Greco igne in coxis pedibusque combustam ad Aloysium Micera uti Hospitalis Rectorem delegasse, qui rogarent, ut Hospitalis Chirurgum ad se curatum mitteret: eumdemque

(*a*) §. 9.

que Micera hujus facti fuisse in contestem vocatum, uti colligitur ex illius, aliorumque Testium depositione (a).

20 Ultimo loco Animadversio (b) a nobis percontatur, quando ex quatuor Amanuensibus electis duo primi, nempe Adm. RR. DD. Aloysius Micera, et Cyrus Paschalis Orlandi transumptum a se confectum cum originalibus foliis exhibuerint? Quid refert scire diem et horam hujus exhibitionis, quando acta probant fuisse factam? Nam et Notarii Actuarius et Adjunctus totum contulerunt Processum, ac de totius transumpti cum originali concordantia fidem emiserunt, quam deinde Judices decreto suo confirmarunt (c), et ad Sacram deinde Congregationem in suis Literis rescripserunt (d). Cum igitur in actis costet de consignatione, quid erimus de die sollicili?

21 Quae cum ita sint, ecquis dubitabit, quin Tarentinae hujus Inquisitionis validitas per summam vestram aequitatem, ac benignitatem, Eminentissimi Patres, quemadmodum enixe humillimeque adprecamur, comprobetur? Nihil siquidem in ea, nisi ex stylo, disciplina nostra, et Literarum Remissorialium legibus gestum evicimus. Exceptiones vero ipsae a R. P. D. Fidei Promotore prolatae, aut rem nullo modo afficiunt, aut circa Inquisitionis *accidentalia* versantur, quae sunt magnifice refutata, quaeque etiamsi subsisterent, processum tamen minime labefactarent, propterea quod in *accidentalibus* decretum irritans Literarum Remissorialium minime cadat, uti affirmat Benedictus XIV (e) scribens. „ Decretum irritans non procedit quoad *accidentalia*, „ sed quoad *substantialia* judicii, sicuti late probat Lezzana „ *consult. 1. num.* 127., et sicuti caeteris praetermissis admis- „ sum fuit in Causa Forolivien B. Peregrini 1716. „

Quare etc.

Franciscus Bartoleschi

REVISA

Andreas M. Frattini S. R. C. Assessor, et Fidei Sub-Promotor.

(a) *Proc. fol.* 280. *atque alibi*.
(b) §. *cit.*
(c) *Proc. fol.* 415.
(d) *Summ. num.* 4. *pag.* 20. *in fin.*
(e) *Lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 22. *in fin.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google